№ 1
5-1118

№ 1

R, 2577
Del Colegio de la Comp. de Jesus de Granada.

# S. ROSÆ

## Uiterbienſis Uirginis Uitæ Hiſtoria.

*A P. Antonio Gœorgio Giannello, Societatis IESU Presbytero ſummatim deſcripta, & in duos libros digeſta.*

Eminentiſs. Principi, S. R. E. Card.

## SACCHETTO

Uiterbienſi, & Tuscanienſi Epiſcopo DICATA.

BBe

URBEUETERI, Typis Liuij Tosini, Impreſs. Epiſcopalis, & Publici A. D. M. DC. XCVI.

*SUPERIORUM PERMISSU.*

Eminentiſs. ac Reuerẽdiſs. Principi D.

# URBANO SACCHETTO

S. R. E. Card. Ampliſs. Epiſc. Viterbienſi, & Tuſcanienſi.

*Antonius Georgius Giannellus, è Societatis IESV Felicitatem.*

*CVM Sanctorum Hiſtoriæ, Princeps Eminentiſsimæ, conſcribantur, tũ vt Legentium, Audientiumq. animos religione augeant; tũ verò in primis, vt admiranda DEI Optimi Maximi pietas in humãum Genus ex beneficijs etiam vltra Naturę ordinem, eorum deprecatione, acceptis magis eluceſcat: non extra rem DIVAE ROSAE Virginis Viterbienſis hiſtoria latinis litteris*

eſt mandata, vt quę adhuc, quippè noſtrate tantùm idiomate enarrata, Italię terminis fuit circumſcripta, iam cum latino ſermone, qui etiam amplioribus, quàm ſuorũ olim Auctorum Imperium, terminantur finibus, per plures Gentes, ac nationes incipiat peruehi; Sanctęq. ROSAE obſequium, & cultus (quemadmodum eius beneficentia, & merita Terræ vniuerſæ regionibus definiuntur) quocũq. Chriſtiã peruẽit Fides, etiã ingeratur. TIBI verò potiſſimũ, Cardinalis Ampliſſime, hanc hiſtoriam deſtino ex plurimo nomine, vel quia Heroinę noſtræ natali Vrbi meritiſſimè praees Antiſtes, vel quia in te recentis hiſtoriæ præpotentem Patronum obtineo: maximè autem, vt eadem, & ſingularis Tuę in Viterbienſem hanc Sãctam pietatis index, & mei erga Tuum Nomen propenſi animi pignus exiſtat. Nõ quò mihi tantùm tribuam, vt Nominis Tui auctiorem, auguſtioremq. putem poſſe reddere claritatem: quotus enim quiſque eſt apud quem celeberrimi non ſint ex vetuſtiſſimo Tuo Genere vel Supremi Florentinę Reipublicę a Moderatores, ac Rerum b Arbitri, Meritis, Conſilio, Virtutibus Terrarum Orbi admirabiles, Ciuium amor, Populi

a Foreſtus Sacchettus

b Nicol. Sacchet.

puli



puli delicię Patrię Patres? Vel Sapientiſſimi ad Pontifices, Cęſares, alioſq. Reges c Legati, iidemq. Belli ſtrenuiſſimi Imperatores? (vt ſileam Germanum Tuum, qui feliciſſima ſui Ordinis Legatione perfunctus eſt ad INNOCENTIUM Vndecimum, ALEXANDRUM Octauum, perfungiturq. in præſentia ad INNOCENTIVM Duodecimum tanti Nominis, ac ſplendoris Põtificẽ, Marcel. Sacchettũ Hieroſolymitanũ Equitem, haud imparem nomini) vel ſacris Infulis inſignes, & Purpurà, quibus ad d Vaticanum aſſequendum Apicem, nec propria & ingentia Merita, nec aliena, & iuſtiſſima defuere Vota? Non (inquam) quò tantùm tribuam mihi, ſed vt ſplendidiſſimũ e Nomen Tuum, qui Proauorum Decus Tuis præcipuis Prerogatiuis repræſentans, & amplificans, maius es ad Nepotes tranſmiſſurus (per ſupremma enim Munia gradus Tibi factus eſt ad Sacrę Purpurę verticem) ante Camerę Clericus, poſt Auditor integerrimis ſemper moribus, & iuſtitia; deniq. ab INNOCENTIO Vndecimo tàm pię, ac laudabilis recordationis (quod Tuę Dignitatis non vltimum eſt ornamentum) Purpuratorum Patrum COLLEGIO cooptatus es

c Thom. Sacchet. Eques Hieroſolymita.

d Andreas Sacch Episcop.

e Iulius Card. Sacchet.



inter

*Inter eos, quos prima vice ad ſummum in Eccleſia Honorem prouexit, Cardinalis Diaconus: vt ſcilicet ſplendidiſſimum Nomen Tuum, vnde Sanctę Virginis patria, cui ab eodem INNOCENTIO Vndecimo præpoſitus fuiſti Epiſcopus, adeò illuſtratur, huic Hiſtorię lucem ſuam tam longè, latèque radiantem aſpergens, inde tranſlatam in cœleſte viridarium ROSAM quoquoverſus CHRISTI bonum odorem præcellentiſſimis virtutibus diffundentem, diſiunctarum quoque Terrarum, ac Regionum exponat notitię. Ne grauere igitur, Hiſtoriam hanc Nomine, vel exornari tuo, vel protegi: ac diutiſſimè Regnorum omnium felicitati viue. Vale.*





# AD LECTOREM PRAEFATIO.

*Rogatur, ne omittat.*

CUM varia ſint, ò pie Lector, ingenia hominum; varia etiam illis par eſt apponi fercula: quare ipſe, vt breuitatis veliſicer ſtudioſis, narrare ſtrictim Uitam Sanctę ROSAE Uiterbienſis Uirginis Tertij Ordinis Diui Franciſci ſum conatus, acta virtutum, cœleſtiaque prodigia ita deſcribens, vt quędam ſola attributa miſſa faciam, quę coniectura aſſequatur, quiſquis leget: &, cum ſit à ſe ipſa venuſta Hiſtoria, à phaleris nudam tibi exibeo, veniam nõ deſperans: ſi, quod poeta Cęſaris, & Agrippę laudum pręco, modeſtię gratia timuit, re vera mihi contigat, eam *Horat. l. 1 od. 6.*

*Culpâ deterere ingeni.*

Illud confirmo tibi, nihil me hic recen-

ſurum, quod à Vitę eius Hiſtoricis non deſumpſerim, qui aut ex eius Conſecrationis Actis, aut ex authenticè ſcriptorum monumentis excerpſere. Addidi, in eius è Vita exceſſu ęra Campana, quæ erant gemina Templi Sanctę MARIAE in Podio, per ſe inſonuiſſe: quia id Viterbij cognoui ex P. Antonio Carrida, cum eſſet Moderator Clericorum Regularium, qui ęgrotantium adminiſtri vocantur; & nunc ei Parœciæ præſunt: poſtea idem rogatus à me per litteras de fundamentis, quibus ea fama niteretur, his verbis ex Italico in Latinum idioma fideliter tranſlatis ad me Roma reſcripſit datis ad ſextum nonas Iulij Milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi ſecundi: *Anno* (inquit) *Milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio quidam Senex Familiæ Seruorũ Beatæ Virginis noſtram domum venit; vocanſq. ad colloquium Patrem Achillem eo tempore domus Præpoſitum ab eo petijt, vt campanas videret; ac nemini, me quoque illuc iuiſſe: inuenit ille memoriam caracterum Gothicorum in maiore campana, quæ nunc refuſa fuit nouiſſimè; & fuſa fuit anno milleſimo centeſimo viceſimo nono: & minor campana erat minùs antiqua: dictus Religioſus Vir narrauit, lectum à ſe in cuiuſdam eius temporis Parochi ſcriptis memoriæ cauſa ſeruatis, vtramq. per ſe ſonũ ædidiſſe; atq. adiecit, illud Templum fuiſſe Cænobitarum Ordinis Seruorum Beatæ Virginis in ipſa prima eorundem inſtitutione.* Sic Epiſtola cuius auctoris caracterem, coram Tabellione publico duo idonei Teſtes agnouerunt. Prętera quædam pręcipua interſerui, quę mihi deſcripta miſit ſuper Sanctę Virginis domo cum miraculis in ea editis, tum Maiorum ſuorum tempore, tum ſuo Ioannes Antonius Gnazza Ciuis Viterbienſis, humani, diuinique Iuris peritus, cuius tũc adoleſcẽtuli parentes Monaſterij Sanctę ROSAE Virginibus illam vendidere (erat enim ex Matris eius bonis) quando (iuxta prędictum à Diua parenti ſuę) in vnum coagmentanda erat corpus cum eodem Monaſterio: affirmauitq. iureiurando, duobus Teſtibus aduocatis, Libellioni auctoritate Apoſtolica cohoneſtato, ſe ea, quę circa domum illam enarrauit, vel vidiſſe ſuis oculis ipſummet, vel à ſuis Moribus exaudiſſe. Nec *V. cap. 9. L. 1.*



adic-

adieci quidquam prioribus Hiſtoricis; cuius veritatem perſpicuam diligentèr non perquiſierim. Porrò Hiſtoriam in duos diuiſi libros, quorum altero Uita, Cœleſteſque ROSAE Mores, eiuſq. viuentis mirificè facta comprehenduntur; altero autem eiuſdem è Cœlo deſcenſus, res admirabiles poſt mortem patratę, deque ipſius Sanctitate hominum opinio, non ſine aliquo materiarum Ordine, vt confuſioni occurratur. Tu interim, religioſe Lector, gratum, acceptumque habe animum, quo tibi prębetur libellus ab eo, qui ſua in Sanctam Uirginem obſeruantia, eiuſdemq. dilatandi cultus deſiderio in illum pro modulo conſcribendum, non paruum ſtudium, nec exiguam Operam contulit. Uale.

IOAN-



# IOANNES UINCENTIUS IMPERIALIS SOCIETATIS IESU IN PROUINCIA ROMANA PRÆPOSITUS PROUINCIALIS.

CUM librum, *cui titulus Sanctæ ROSAE Viterbienſis Virginis Vitæ Hiſtoria* à Patre Antonio Goeorgio Giannello noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptum aliquot eiuſdem Societatis Theologi recongnouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, poteſtate Nobis à Patre THYRSO GONZALEZ Præpoſito Generali, ad id tradita, facultatem concedimus, vt Typis mandetur, ſi ita ijs ad quos pertinet, videbitur. Cuius rei gratia, has litteras manu noſtra ſubſcriptas, Sigilloque noſtro munitas dedimus. Romæ die 28. Aprilis Anno *1696*.

Locus ✠ Sigilli

Ioannes Uincentius Imperialis.

*Ex iuſſu Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Dñi VINCENTII è Comitibus de Aptis, Vtriuſque Signaturæ SS. D. PAPAE Referendarij, Epiſc. Vrbisveteris, eiusque Diœcæſis Inquiſitoris Generalis, perlegi* Sanctę ROSAE Uiterbienſis Uirginis Uitę Hiſtoriam *à P. Antonio Gœorgio Giannello Societatis IESV conſcriptam, In eaque nihil reperi contra Fidem Catholicam, bonoſque mores, imò omnia animaduerti, quæ potiùs ad Sanctæ Virginis obſequium, & legentium vtilitatem excitare maximè poſsunt &c. In quorum fidem &c. manu propria ſcripſi, & ſubſcripſi Dat. ex noſtro Collegio Vrbevetano Soc. IESV pridie Idus Septembris, 1696*

*Ioſeph de Albertis Firmanus Soc. IESV, Lib. Cens.*

*Attenta prædicta atteſtatione licentiam facimus, vt prælaudata Hiſtoria in hac noſtra Ciuitate per Typographum Noſtrum Epiſc. imprimatur. In quorũ &c. Dat. ex Noſtro Palatio Epiſc. Vrbisveteris hac die vigeſima ſecunda Septembris 1696.*

*VINCENTIVS Epiſc. V.V.*

*Imprimatur.*

F. Ioſeph. Maria Bettini Uic. R. P. M. S. P. A. Ordinis Prædicatorum.

Ad



Ad UITERBIUM, Uetuloniam, olim dictam, ſuperioris HETRURIÆ Metropolĩ Prouinciæ Patrimonij S. P. Caput, vetuſtamque Romanorum Pontificum Sedem ob ſuam admirabilem Uirginem Sanctam ROSAM.

## EPIGRAMMA.

*Amplius haud vita herbarũ, diceris Hetruſcæ*
*Rõani Vrbs Sedes, doſq. vetuſta Patris.*

*Nomen erit potiùs Tibi vita, hortusq. Roſarũ,*
*Dum tàm præclaras concipis ipſa ROSAS.*

*Vt roſa Campeſtris florum Regina vocatur,*
*Sic Tu Vrbes inter cingere ſerta meres.*

*Flaccida quã medicũ terrarũ olet illa viretis,*
*Aſtra ſed iſta diù complet odore ROSA.*

*I. F. S. T. Acad. Solitarius.*

Ad Pa-

Ad Patrem Giannellum S. I. Auctorem Hiſtoriæ Uitæ

# S. ROSÆ

## UIRGINIS UITERBIENSIS.

### EPIGRAMMA.

SOrtiri haud aliũ poterat Vetulonica Virgo,
Qui tentam hòc meliùs ſcriberet Hiſtoriã.

Quã puro Giannelle Roſæ calão exprimis acta,
Et niueos Mores Moribus ipſe Tuis.

Sudaſti, & benè; Pro tanto quæ ſerta labore ẽ
Ne, roſea æthere reddet in Axe ROSA.

*A. T. I. Acad. Tacit.*

Illuſtris.



# S. ROSÆ

## Uiterbienſis Uirginis Uitæ.

### LIBER PRIMUS.

*Eius viuentis mores, & excendentia humanum faſtigium geſta complectens.*

### CAPUT I.

*Sanctæ ROSÆ ortus, educatio, infantia.*

VIterbij in Urbe Hetruriæ perilluſtri (Prouinciæ enim, quod Patrimoniũ appellant, caput eſt) Pontificiæ ditionis ad Cimini montis radices Faliſcos inter, & Romam, ab eis milia paſſum circiter octo diſſità, ab iſtà quadraginta, anno poſt Uirginis partum millesimo ducenteſimo quadrageſimo. GREGORIO Nono Pontifice Maximo, imperante Friderico Secundo Schiſmatico.

 nico,

tico, qui Viterbienſes in ſeruitutem frau-
dibus aſſeruerat, ROSA verno tempore
ſed incerto menſe, ac die ex Ioanne, &
Catharinà Viterbienſibus (quo cogno-
*Coret. c.* mine, ignotum) pijs, tametſi non copio-
*1. l. 1 vita* ſis genitoribus; Patrimo Patre, etiam
claro genere nato, ortum duxit: revera
ROSA, quę inter illuceſcentis tunc ab He-
reticorum, & Schiſmaticorum flagitioſâ
conſuetudine Ciuitatis vepres effloruit
in Paręcià Sanctę MARIAE, quam di-
cunt *in podio*, a cliuo, vbi Templum Pa-
ręcię ſitum eſt. Simul atq. in lucem eſt
*Coret. c.* edita, ſacro Fonte fuit expiata, indito
*16 l. 3.* illi nomine ROSAE, vel a roſis, quę tum
*Vita* floruiſſe inuentę ſunt, vel à Sanctę Ma-
rię roſarum Monaſterio, cui parentes
ROSAE famulabantur; & cui eorum do
mus erat confinis. Diù ſterilitate labo-
rauerat Catharina, ſed tanto cum Diui-
na voluntate conſéſu, vt ſi eſſet fœcundiſ-
ſima: fœtu tamen Cœli munere conce-
pto, cum a ſpe fœtus, quam longiſſimè
aberat, prolis vnicę amplitudine nume-
roſà ſobole feliciſſimis antecelluit. Qua-
lis futura eſſet reliquo tempore ROSA,
ſuboluit à cunis: nunquam vagire audi-
ta;



ta; ſemper taciturna, & ad modeſtiam
compoſita, viſa Matri nullo tempore la-
ctis auiditate grauis fuit, illud ſugere
arbitratu eius contenta: ocellos attol-
lebat ad Cœlum: voces, quas primas *S. prima*
nouit proferre; Sanctiſſima fuerę nomi *verba.*
ña IESVS, & MARIA: pediolos in greſ- *prīgreſ*
ſus, Beatę Virginis, & Chriſti Domini, *ſus.*
ac Diui Ionnis Baptiſtę paternę domus
patroni effigies verſus primum expli-
cuit: ante quas effigies genibus humi
poſitis incumbebat ad preces. In obtē-
perando ſolers quàm maximè fuit: pre-
cationes balbà linguà dicere; Sacras e-
xornare, & colere icunculas eius erant
pueriles ludi. Dei cultu eam in primis
erudiebant parentes, queis illa, cum de
rebus Cœleſtibus loquerentur, libentiſ-
ſimas pręhebat aures. Sępè ad ſacras
conciones eam Mater educebat, quibus *Integras*
ROSA tam ſtudioſè intererat, vt reuerſa *recitat*
domum audita ijſdem verbis omnia red *cōciones*
deret, Concionatorum exprimere, tum *auditas.*
geſtus, tum pronunciandi modum eni-
tens; at lepore ſuo, atque oris gratià in
admirationem audientes conuertens,
ampliorem ab ipſis, quàm argumenta-

 tioni-

tionibus concionantes, fructum referebat, ad quem referendum ſpectabat vnicè actio hęc ROSAE, vt eam meritò Sa-
[*Lect. 4*] cra Rituum Congregatio in eius Feſti officio commenuet his verbis; *Facta Perfectionis Magiſtra, cum vix loqui didiciſſet*. Et quamuis ROSAE laus iſta auditas orationes ſacras ad verbum repetendi cum alijs Sanctitate conſpicuis poſſit eſſe communis; pręcipua tamen, & ſingularis ipſius fuit vehemens adeò audiendi diuini verbi deſiderium, quo flagrabat, vt, niſi ad illius Pręcones eam genitrix adduxiſſet, quieſcere non poſſet. Unde eam ad concionandi munus, quod admirabili modo in adoleſcentià obijt, proludere in infantià diuinares. Eius animi candor eximius pulchritudinem quamdam ſpectabilem tranſmittebat ad corpus: in vultus grauitate, placidà cordis moderatio; in oculorum verecundià, & verborum caſtimonia Mentis integritas eleuabat: quanto autem cum aliorum vſu, eiuſdē
[*Off. lect. 4*] Sacrę Rituum Congregationis hęc verba declarant, *Ad virginitatem, quam perpetuò coluit, intuētium animos excitabat*.





Familiaritas denique auium, quę ſemel ipſius in ſinum deuolantes, panis, quem vix bima comedebat, micas in eiuſdem volà in conſpectu adſtantium deſūpſere, & ſępè alias, quod pręſertim Columbę factitabant, eas illà blandè excipiente, ac manu mulcente, innocentię ROSAE non vulgari, & cogitationum celſitudini ſupra ętatem, ſupra conſuetudinem, ſupra Hominis conditionem fidem facere viſa eſt. [*Aues, & Colūb eius in ſinum volant.*]

## CAPUT II.

*Materteram à mortuis trima excitat. Quā erecti fuerint hoc miraculo Viterbienſes. ROSAE in pueritià virtutes egregię.*

FEbri vehementiſſima breui confecta interierat eius Matris Soror, quam aliqui Auunculam non latina voce appellant, diemque integrum cuſtodierant cadauer domeſtici, nec ſine doloris etiā familiarium externorum ſenſu, maximè cum ad ſepulturam conſueta pararentur, miſerata lachrymas ROSA cum trima pręſens, ad extinctam, prius quam ef-

*extinctā* feretur, accedit; imponit feretro manū; *ad vitā* illam voce magnā compellat, quę ſtatim *reuocat.* ingenti cum omnium, vel ſtupore, vel gaudio oculos recludens, omninò incolumis exurrexit, ęquè admirans, & gaudens; ac vitam poſtea, quam acceptam ad neptem retulit, annos ad plures *viterbi. motus.* produxit. Uiterbij, tanti Miraculi rumore vulgato, Populus Friderici Secundi miniſtrorum preſſus tyrannide, non ampliùs veritus eſt ſubditus, coniunctuſq. Sanctę Eccleſię permanere, diuini patrocinij fiduciam Miraculi perſpicuitate concipiens, contra nequidam Simone Cęſareo Uiterbij Pręſide precibus obnitente: cognito enim, in Sede Petri Innocentium Quartum recens collocatum fuiſſe, eius tutelam, opemque per Legatos Ciuitas poſtulauit: nec recuſauit ille: nam Sutrium Rainerium Cardinalem Capoccium Uiterbienſem cum mandatis miſit, vt illinc de ſuo in eorum auxilium aduentu certiores Ciues ſuos faceret. Accepto hoc Nuncio Uiterbienſes, Pontificię Partis explicuere Uexillum; correptiſq. armis in Pręſidem irruentes, eum in arcem (vbi Epi-



Epiſcopi Cathedrà precellens Baſilica nunc eſt, Diuo Laurentio Martyri dicata) effugere cum ſuis coegerunt, eiuſq. depopulati ſunt ędes. Hoc audito Fridericus iter cum exercitu vniuerſo Uiterbium verſus arripuit; & Caſtra propè poſuit: reſtitere Uiterbienſes, præ tanto exercitu exigui numero, ſed viuidà ad bellandum virtute: quia Sanctæ *Viterbi. victoria.* Ciuis meritis fretà, non exiguis, quibus ſubſidiarijs fractus Cęſar ad eas anguſtias eſt redactus, vt & Simon Comes, & Cęſariani reliqui obſidionein arce cincti, propoſitis conditionibus fuerint expoſcendi. Quam ob rem pudibundus, & copijs imminutis, exultantibus Eccleſię aſſeclis, abijt Imperator, tyrannide, quam vltra biennium pertulerat, Uiterbium ſoluens; tametſi Cæſarei deinde illud anno poſt natum Chriſtum milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo hominibus, & annonà (fame, bello, peſtilentià) exinanitum iterum ſub iugum miſere. Sed ad noſtram redeamus Virgunculam: Eccleſiaſticas exercitationes omnes adibat libenter, *Quàm aſperè ſe* ad Templum preſertim Diui Franciſci pro-

*ipſa exci-* propendens ſui contemptus cupiditate,
*pit.* abiectiſſimâ, hiſpidàque veſte nudos artus contexit; nec vnquam, quod vixit, veſtem exuit: pedibus incedebat nudis, capite detecto, crinibus paſſis, hyeme, atque eſtate iuxtà: corpus aſſiduis affligebat ieiunijs; eiuſq. erant precationes, rerumq. Cœleſtium iugis contemplatio epulę iucundiſſimę, Sacrâ de ea
*Off. lect.* Rituum Congregatione aſſerente: *Diui-*
*4.* *nę contemplationi iugiter vacabat.*

## CAPUT III.

*Sanctitatem ROSAE in pueritiâ magnam miraculis Deus oſtendit.*

MIracula inter, quibus ROSAE ſanctimoniam adhuc in annis puerilibus vireſcentis ingentem comprobauit Deus, principem obtinuit locum illud, quod ad coronam Virtutum Reginę Charitatis enituit. Proſequebatur Pauperes amore ſingulari, quibus, quidquid habere poſſet, etiam Vitę proprię neceſſaria ſibi ſubtracta tribuebat: eam ob rem pater, qui etiam haud multò min-

tò min-



tò minore vexabatur inopià, ſuſpicans filiam rem familiarem effundere, ei eleemoſinam interdixit: paruit mirum in modum illa: verùm in expiſcādis rationibus, quibus charitati ſatisfaceret, qui parendi ſtudio aduerſaretur, argutiſsīa, panem ſibi ad nutrimentum attributum egentibus medium diſpertiebat, & ne inuito parenti eſſet moleſtię, ijs illum porrigebat occultè: aliquando autem accidit, vt, dum feruidis mediâ brumâ cum Deo perfrueretur colloquijs, inopes quoſdam querentes audiens, & miſerans, gremio tecta panis fruſtra illis deferret: cum ecce tibi caſu obuiam fit illi pater: iubet eam, quod geſtaret in gremio, detegere: ſtatim vt illa detexit, *Panis*
apparuere verſicolores roſę recentes *fruſta in*
pulcherrimę odoratęque: hoc prodigio *roſas mu-*
permotus Pater eleemoſinas deinceps *tata.*
natę permiſit. Quod conſequitur etiam prophetica prenotione ROSAM tunc temporis claruiſſe teſtatur. Adibat frequenter eius domum femina Catharinę commater, vt vocant, quę gallinam ſturnis concolorem, pre quâ pretioſiſſima quęque videbatur pro nihilo habe-

re

# CAPUT IV.

*Recipi in Sanctæ MARIAE roſarum Monaſterium efflagitat, reiecta in ſua domus cellam ſecedit.*

SAnctę MARIAE roſarum Monaſterium ſub inſtituto Sancti Damiani ex ordine Sancti Benedicti eximia virtutum exempla prodebat Uiterbij: in hoc admitti per parentes ROSA poſtulauit, vt vitiorum euitaret contagia, quibus mortalem vitam extra Cænobij ſepta eſſe obnoxiam exgallinę ſurreptę, fictiliſq. vaſis fracti occaſione compererat: verùm excluſa eſt duabus ex cauſis, puſillà ętate, ac tenui re. AEquo, libentique animo ferens repulſam Aſceterio non conceſſo ſuę domus cubiculum mutauit, adeò arctum, vt vix ipſam cum paupere cubili, & paruulo altari caperet, cum ipſa etiam domus eſſet valde anguſta (conſtabat enim duabus habitationibus tantùm, ampliore alterà, quã aulam denominant; alterà arctiore, ſupra quas erat horreum): arctiori con-

claui



claui contigua fuit cella quam ſibi ROSA vindicauerat vice carceris (vt aiebat) cauata intra craſſum arcis murum (cuius muri adhuc cernuntur indicia) longa palmos circiter decem, circiter quatuor & dimidium lata, aliquantulum lucis à feneſtellà palmari excipiẽs. Hoc habitu vſque ad decimum nouum calendas Maias milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi primi, quo eius poſſeſſionem inire Aſcetrię, Sanctę ROSAE eſt ſeruata domus; ac ſemper ei ab incolis veneratio eſt habita, nec exiguo equidem cum fructu; Laura enim Biellia, cuius propria domus illa erat, queq. illà vtebatur, liberos tollere cum minimè poſſet: eo quod ſtatim, vt partum ediderat, illum infeſtarent veneficę, damnum deplorauit apud ſuarum confeſſionum Auditores, qui hortati eam ſunt, vt, cum primùm ſe vterum gerere animaduerteret, in Sãctę ROSAE domicilia concederet; vbi pareret; ſuſceptamq. prolem ibidem aliquandiù detineret. Conſilio vſa eſt, cum opertuit, Laura: & ecce tibi anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſecundo, continuò à partu, quo enixa

*Qualis Roſæ cella.*

*Saga noſcere in Sanctę Roſæ domo nequiuere.*

eſt

eſt noctu feminam, & parere in poſterũ deſiiſſe, ſtrepitus excitatus eſt ingens: aperuitq. ſe ipſa domus ianua, quamquã ſtis repagulis benè occluſa, quin tamen ſe ad ſtantium oculis quidquam objiceret. Puella verò nata, Catharinę nomine in luſtrali fonte accepto, vitam diù duxit incolumis. Quo autem modo ſe id temporis habebat Sanctę domus, alterius erit loci edocere Lectorem. Ad Sanctam Uirginem reuertendum nunc eſt. Intra eam cellam piorum in operũ exercitationibus tota erat: nec inde, niſi ad Parecię Templum, cuius vnicam haud ignorabat viam, exibat ſumo mane, vt ſacroſancto Altaris Holocauſto intereſſet. Et, vt de inſtitutà inibi ab eà aſperrimà vità aliquid proferamus: die,

*Oratio.* ac nocte immorabatur in precibus; ſomnum ſuper aſſeres nudos capiebat breuiſſimum; hebdomadas ipſas cibo abſtinebat, flagellis in ſe tam crebrò, tamq. immaniter ſęuiens, vt poſt verberationes non rarò in humum concideret, ac penè animo linqueretur: pro Sanctà Eccleſià, eiuſq. ſupremo Paſtore, qui Friderici Secundi vrgente tyrannide Lugdunum

*Vitæ rigor.* *Ieiunia.* *Verberationes.*



dunum confugerat, preces, lachrymaſq; fundebat aſſiduas, & pro ſuà potiſſimũ patrià, vt Numen diuinum ab hereſi eam, atq. à vitijs eximeret, quę Schiſmatici Friderico addicti importauerât. Auocare natam ab domeſticà eremo, atq. à rigidiore vità ſtuduere genitores; attamen fruſtra: namq. ipſa cruciatus, quibus torquere corpuſculum cęperat, potiùs geminauerit.

## CAPUT V.

*Grauis, & prolixus ROSAE morbus; eius animi è corpore ſeceſſus, ac mirabiles Viſus in morbo.*

ATtenuauerant adeò inedię, aſperrimiq. ROSAM verberatus, vt ſceleti ſpeciem ambulantis referret: eamq. ob rem in vehementiſſimam incidit febrē: quà, vt vires deficiebant, inualeſcente, ne ipſà orbarentur; parentes non ſine ingēti mœrore timuerunt: at illa patientię ſeruantiſſima valetudinis moleſtias voluntatis ſuę cum Diuinà conſenſione, anſâq. tolerationis prębità ſolabatur.



Per-

Pertinax autem morbus eam anno diu-
tiùs tenuit, donec nonum ętatis inco-
haret annum, quo tẽpore ſine vllo Vitę
indice motu reliquit per triduum, ita vt
ad ſponſi Celeſtis thalamum exceſſiſſe
crederetur: non tamen exceſſus fuit il-
le ad perpetuos ſponſi amplexus, verùm
à ſenſibus alienatio, quà corpus repeti-
turus animus ad ſupremi Regis Palati-
um, ac deinde ad infernum damnator-
um ergaſtulum penetrauit. Senſibus, ela-
pſo triduo, reſtituta, ad eorum, qui cir-
ca erant, vtilitatem conſpecta minimè
occultauit: nempe viſos à ſe non paucos,
qui plus quàm viginti annis ante, quàm
ipſa veniret in vitam, e vitâ exierant:
aç nominatim eos, qui beatiſſimo Dei
aſpectu perfruebantur in Cœlo; eoſq;,
quos ſempiternus ignis apud Inferos a-
durebat, lineãentis deſcripſit, adeò pro-
prijs, atq. pręcipuis, vt ſi de facie illos
ante nouiſſet. Narrationi hortationem
addidit feruidam, vt adſtantes ad viti-
orum correctionem, ac diuinorum Prę-
ceptorum cuſtodiam permoueret. Do-
meſticis, & quotquot eã inuiſendi cauſâ
adirent, ponebat ob oculos mentis dãn-
um

*Tridui eius animi à corpore exceſſus.*

*Quid interim viderit.*



um maximum, quod bona terreſtria ſibi
adhęrentibus nimiùm afferebant: &
contra, quàm multi eſſet fructus, & lucri
Seruatoris Chriſti veſtigijs ingredi. Ia-
cebat in lectulo gratias Deo agens,
quod tanta ſibi in diuturnâ ęgrotatio-
ne conferret officia, id tantum ęgrè fe-
rens, quod ſecum humaniter nimis age-
retur: cumq. per ſe nequiret ipſa ſuum
in corpus flagellis deſęuire, alijs vt ipſã
cęderent, ſupplicabat, ita ſollicita de
pęnis, vt de commodis alij ęgrotantes:
cordis aures arrectas ſemper ad Cœli
voces habebat, quo & crebra emittebat
ſuſpiria. Quarta feria, qui fuit vndeci-
mus calendas Iulias anni milleſimi du-
centeſimi quadrageſimi noni noctu, dũ
cœleſtibus delibuta delicijs in dulcedi-
nis lacrymas liquaretur, amoris Diuini
vehementis repentinâ correpta vi alie-
nata à ſenſibus eſt: nec mora, feſtinè è
lecto deuoluitur; atq. ore prono, bra-
chijs in Crucis morem protenſis humi
proſternitur, animo ſe cum diuino Spon
ſo confixam in Cruce ſic prodens: mox
in gemitus, ac ſingultus tam ingentes
efferbuit, vt audita à matre ſit, quę pro-

*Amoris diuini vi alienatur à ſẽſibus.*

 pera-

*Quid terrenis de rebus, ac Cœleſtib. ſenſerit. Chriſtianam aciẽ in ſyriâ diuinitùs videt.*

peranter accedens, in lecto illam repõit; ac de gemituum, ſingultuumque cauſa interrogat: cui illa, Mater, inquit, potiatur per me licet, cui arrident, huius Terrę voluptatibus, ac diuitijs; ipſa enim libentiſſimè nuncium his remitto; imò vel ſolius earum me nominis faſtidium capit: pulchriora nimiò vidi ego, dulcioraq. ſum experta. Ad nonum calendas Iulias, cum anxia mirum in modum eſſet, ac triſtis, eo animi deliquio laborauit, vt in Uitę Mortiſque confinio putaretur; certè vultu extremis torqueri ſe denunciabat: mox paulatim exhilarare frontem, & ſubridens conſpecta eſt, ac ſi extremis illis elapſa eſt anguſtijs: tunc enim animo à ſenſibus auocato in Syriâ fuerat; narrauitq. pręſentibus, aſpectam à ſe in proximo diſcrimine Sancti Gallię Regis Ludouici Noni aciem in obſidione Peluſiacâ; ſupplicem ſe obſecraſſe Deum, vt Chriſti cultoribus opportũam opem ſufficeret; nec reiectas ab eo preces: futurum enim eſſe diuinitùs cognouerat, vt poſt paulò veniret in Regis poteſtatem Peluſium; & quidem cum ſanguine Chriſtianorum

*prænũciat victoriam.*





minimo: eos, qui aderant, hortata eſt, vt exorarent ipſi quoque pro Sancti Regis victoriâ Cœli Regem. Quod prędictum à ROSA fuerat, profecti illinc poſt menſem confirmarunt nuncij, qui ſignificabant, animum deſpondentes Fidei hoſtes tergà fedè vertiſſe, vacuam oppugnatam Urbem relinquentes propugnatoribus Fidei, effuſâ Chriſtiani ſanguinis ne guttâ quidem. Ità beneficio pręſtando pollicitationes amplias ſuas DEUS:

## CAPUT VI.

*Eam Deipara Virgo Sanitati reſtituit; quę illi præceperit, priùs quam ab ipſâ decederet.*

IN aduerſâ valetudine Seruatorem, cuius nil aliud Uita, niſi crux, & martyrium extitit, imitari gaudenti ROSAE vix iam ſufficiebant, ad eius diuturnitati obluctandum, vires: quam ob rem quintę ferię,, quę in decimum calendas iulias incidit, nocte, ſub initium ferię ſextę ieiunio, quod in Diui

Ioannis Baptiſtę tutelaris ſui peruigilio ſeruauerat, eneruata, virginibus, alijſq. pijs fęminis familiaribus ei pluribus inſpectantibus, deficere ſenſim cępit; atq. ad extremum, vitę, mortiq. interiecta langueſcere: verùm, ne morte reſtingueretur, Uirginum Reginę pręſentia vetuit, quam vt fulgore cęleſti radiantem, tanquam ſole conueſtitam, ſummiq. pretij diademate, ceu ſideribus, vertice euincto aſpexit accedentem ad ſe ROSA formoſiſſimarum caterua Uirginum comitatam, erexit ſe quàm citiſſimè ſeſſum in ſtrato; inq. eius ore ſplendidiſſimo, quod etiam aliàs ei affulſerat, intuendo, immobilibus oculis, ac tacitè immorata eſt diù: exinde ad circumſtantes: Ecce Dei mater, inquit, quę ancillam ad ſuam venit: obuiam ei procedite; ac demiſiſſimo obſequio nos quoq. Cœli Imperatricem veneremur. Nec plura, & ex inopinato delapſa in humum eſt; procumbenſq. maximà eam cum animi ſubmiſſione, modeſtiàq. excepit: ROSAE officio pari comitate reſpondit ſanctiſſima Uirginum: namq. ipſam amplexa eſt, ad profectum

*Inuiſitur à Deipara.*

*Eius ad Rosam verba.*





fectum in Uirtutibus, & Perfectione exhortans: dein inuiſere poſtridiè Diui Ioannis Baptiſtę, Diuiq. Franciſci delubra iuſſit, ac tertij Ordinis Diui Franciſci tunicà in Diuę Marię in podio, vt vocant, a quadam pià matronà Sita nomine indui: pręterea in vitia, quorum involutabro ciues demerſi iacebant ſui, quin perſonas reſpiceret, inuehi acerrimè; Religionis, Fideiq. cauſas tueri intrepidè; infenſorum Euangelio ſubire inſectationes, minimè reformidare, cũ ipſam ei non defuturam; tum ipſius Natum haud impar labori ſuſcepto pretium ſoluturum. His enunciatis a conſpectu abijt ROSAE, quę contra omnium opinionem confeſtim ita ſoſpes, & vegeta apparuit, ac ſi nunquam ęgrotaſſet.

*Redditur ſanitati.*

## CAPUT VII.

*Sacram Tertiarię Diui Franciſci veſtem induit.*

CUrà opprimebatur ſancta, niſi magnę Uirginis iuſſa quàm primum faceret: quare circumſtantibus dimiſſis, noctem totam precationi impendit; &

Catharinam parentem antelucem exci-tauit à ſomno, ei ſignificans opus eſſe ſibi cum ſupra memoratâ Sitâ verba habere; rogans inſuper, vt quotquot mulieres, puellaſq. in vicinio liceret, inuenire, domum ſuam cogeret, quod rem haberet non parui momenti, quam cum ipſis conferret: mater, quamuis ei videretur importunum tempus, filię tamen morem geſſit: illę verò omnes ob ſingularem erga ROSAM beneuolentiam eò libentiſſimè conuolarunt, queis illa, & Sitę in primis, oblatam ſibi Beatiſſimæ Virginis ſpeciem, quęq. ſibi ea mandauerat, aperuit, pro quâ re gratias eius benignitati egere vniuerſę: orto deinde die Diuo Ioanni Baptiſtę ſacro, veſtitu pulcherrimo, ac gemmis pretioſiſſimis, quas apud ſe à primarijs Ciuitatis feminis commodatas habebat, exornauit ſeſe, non luxus oſtentandi ergo; ſed vt oſtenderet, illas poſtea exuens, quanti la cernam illam faceret, quam ſibi indueret, ſpecioſiſſimis eam, & quę tanto in pretio habentur à Mortalibus, ornamentis anteferens. (eiuſcemodi ornatum, & con ſtatum ei, cum ſe pridiè ſpectandã

prę-



prębuit, Cœli Regina indixerat,) Rebus ita compoſitis; audiuit à matre, tertij Ordinis veſtem deeſſe, vel quia temp-us, vel quia facultas eius comparandę non fuerat: reſpondit ROSA ad lecti puluinar quęrendam eſſe: ibi mater cinerei coloris tunicam reperit eius artubus penitùs accommodatam, vt ſuppeditata ei ſupernis ab ſpiritibus fuiſſe ſit credita, cum eam Deipara inuiſit: verùm, quia vbi tunica reperta eſt, cingulus ex tortâ cannabi minimè aderat, ROSA domeſtici Aſelli funem, quo ſeſe generoſiùs abijceret, eius loco poſtulauit. Hac ratione inter genitricem, & matronam Sitam media egreſſa domo eſt, multis & nuptis, & innuptis proſequentibus, nec non & frequentiſſimo populo, qui partim videndi cupiditate, partim ex pietatis ſenſu confluxerat, & ſi omnes, vt eam ad ſacrum illud connubium, tanquam ad triumpham progredientem ſpectarent: at ROSA, quò concinnata venuſtiùs, eò incedebat modeſtiùs, animoq. ſubmiſſiore, demiſſis oculis, geſtu, habituq., qui terreno à faſtu abhorreret. Pręcurſoris Chriſti Domini

*Habitus tertij Ordinis mirificè inuenitur.*

*Incedentis ad ſacrum Habitum pompa.*

Tem-

Templum, Diuiq. Franciſci religionis cauſà ingreſſa eſt: inde ſe ad ſanctę Marię in podio deportauit, vbi cum ſacro interfuiſſet, quod ritu ſolemni fuit peractum, ſitę ſe ſiſtens, ab eà coram Sacerdote, qui operatus ad aram fuerat, omnibus expoliata ornatibus eſt; reciſis deinde eidem crinibus, tuniculà illà cineracei coloris eſt induta. His exactis, deuinxit ſe ROSA Cęleſti ſponſo perpetuę Uirginitatis, paupertatis, & obedientię Uoto, Sanctę Clarę conſtitutiones amplectens, atq. inſtituto ſeſe addicens.

*Adrectè viuendũ hortatur.* ( Uotum verò ita integrum, & inuiolatum pręſtitit, vt Uirginitatem perpetuò coluerit; in paupertate gloriata ſit; genitoribus, tanquàm Pręſidibus, in omnibus ſtrictè paruerit ). Tum Chriſti Domini è Cruce pendentis arreptà effigie, eos, qui ſe comitabantur ad certandum ſtrenuè cum triplici noſtri Generis hoſte, Dracone tartareo, Mundo, atq. Illecebris carnis eo eſt hortata feruore, vt ad fluxas res contemnendas, penitentiamq. expetendam incitatus vnuſquiſq. fuerit, fletu abominati criminis teſte madentibus oculis. At ſancta, cum gratias,



tias, quo maiore ſtudio, magiſq. ex animo potuit, ſeruatori ſuo, atq. ipſius Genitrici egiſſet, ad paruum ſuę domus receſſum eodem, quo exierat, comitatu eſt reuerſa: neq. illinc prodibat, niſi factà priùs à parentibus facultate: ibi decem tantummodò annos nata ſomno ſuper aſſerem durum nudę humo impoſitum perpauciſſimo, reficeret ſe, an magis affligaret, ambiguum eſt: ſolo eſuriem pane, & aquà ſitim ſedabat, & ſummà cum parſimonià; ab innocentiſſimo corpore aſperrimis verberatibus pęnas non debitas quàm ſępiſſimè expetebat: mentem tamen ſupernarum rerum conſideratione aſſiduè paſcens Beatitatis ęternę delicias vbertim prelibabat, nihil ex ipſis conuenientium ſe multitudine, quà eius quotidie fluctuabat domus, ei decerpente.

## CAPUT VIII.

*Ingens ad eam inuiſendam populi conuentus; Oppoſitiones patris ſuperatę.*

FAma, quę percrebuerat, prodigiorum, quibus iam à trium annorum ętate erat ROSA admirabilis, viros, ac mulie-

mulieres ad eamvndeunde conuocabat: illa merentibus leuationi eſſe, egentibus pręſidio; dirigere à recto tramite aberrantes; erudire ſpectantium ad ęternam ſalutem rerum ignaros; anguſti pectoris mortalibus animos addere; tepentes in ſtudio pietatis feruorem in priſtinū reuocare. Omnino omnibus peruia ROSAE cella erat: nec exibat ex eà vllus, quin redite percuperet, vt conſolationem referret. Attamen magis ipſi curę erat, ſchiſmate nondum vitiatos in Fide catholicà confirmare; eoſq; qui ſeſe Sanctę Romanę Eccleſię, eiuſq. ſupremi Paſtoris obtemperationi ſubtraxerant; atq. Hereticis adherebant, ad eandem reducere. Inter hęc Inferorum Tyrannus, cuius Regno tantum à ROSA damni inferebatur, eius perſuaſit patri, vt ſibi, & parue rei Imperatoris perſecutionem ab eo permittendo timeret, quod ad mores in priorem formam reuocandos, & ſchiſma regnans excidendum pertinebat: quà de cauſà indignatione exardeſcens Filię imperauit, ne tam multos omnis conditionis, & ſexus in poſterum ad colloquium admitteret; niſi pare-

*Schismaticos maximè conciliare Ecclesię nititur.*



pareret, paucos capillos, qui reliqui ei fuerant, ſe euulſurum; ad hęc, niſi cito citiùs id fieret, colligatam verberaturū ſe extra modum eſſe. Reſpondit Uirgungula, id à Deo ſibi, ac Deiparà Uirgine fuiſſe mandatum; in alijs rebus quàm maximè alacriter ſe audientem dicto eius futuram. Id verò tantà cum modeſtià, ſubmiſſione, ac vi elocuta eſt ROSA, vt delinito parentis corde, cum indignationis nimię pęnituerit; atque adſtantibùs Petro Capitoſto Sanctę Marię in podio Curione, qui ROSAE, à confeſſionibus erat; quoq. ipſa diuinę voluntatis vtebatur interprete, alijſque quàm plurimis, dicta retractarit. Genua tunc ſtatim ROSA ſubmiſit; & Chriſti Crucifixi manu ſignum preferens circumſtantes rogauit, vt ſublatà dexterà benè ſibi precati ſe ponè ſequerentur: hinc ſimul cum illis, alijſque, qui obuij ſeſe comites addebant, ſacras AEdes inuiſum perrexit, eaſq. pręcipuè, ad quas erat propenſior. Inter eundum ad periturarum rerum faſtidium, atq. ad iniurias Deo criminibus factas lachrymis delendas, hortationibus inflammabat: in Templis autem

*Patrem ira ſucceuſum placat.*

*Quanto cum feruore oraret.*

tem preces pro Eccleſię temporibus calamitoſis tanto cum ardore, conatuque fudit, vt animo defici videretur, thoracem ſibi continenter cędens, & patibulati Dei effigiem ſinu conſtringens. Ut idem agerent ab ſe proſequentibus petijt; ijſq. ſuaſit, vt alijs etiam pietatis operibus pro eadem re Deo oblatis preces roborarent.

## CAPUT IX.

*Conſpiciendum ſe ROSAE Chriſtus Dominus exibet ſub ſpecie Crucifixi, atque iterùm poſteà glorioſi.*

*Chriſtus Dñus ei ſub effigie Crucifixi ſe exibit.*

REaliâ de nullâ magis gloriabatur ſancta, quàm de Chriſti Cruce; ſuſceptoſq. ab ipſo Hominum cauſâ cruciatus maximos, die, ac nocte amaras effundens lachrymas mente reuoluebat. Quibus in exercitationibus dum detineretur quodam die, in conſpectum ſe ei dedit mundi ſeruator toto corpore lancinatus, recenti ſanguine vulneribus diffluentibus, eodem ferme, quo in Cruce mortem oppetijt, modo: quo ex

aſpectu



*Ab Animo liquitur*

aſpectu tanto dolore affecta eſt, vt *Maria*; inclamans defectum animi paſſa ſit; & in humum deciderit: exiguo poſt, ſpiritu reſumpto, capillos vellere ſibi cępit, ac ſaxo pectus percutere: Ecquiſte (clamans) Deus mi, tot angorum ſcopum, tot pęnarum propoſuit? Amor, ipſe reſpondit, & paternę Glorię, ſalutiſq. Humanę ſtudium. Rurſus ROSA: Quis te adeò cruciatibus attriuit, vt merito tibi nomen debeatur Viri dolorum? & ipſe, Crimina (ſubiecit) Hominumq. immanitas. Tanto plus ROSAE meror, ac dolor incrementi cępit; & vberiores lachrymę ex oculis manauere, quanto magis ad flagitia, & ſcelera infanda, quę illâ tempeſtate admittebantur, animo ſe, & cogitatione conuertebat. Quam ob rem tota cęleſti amore inflammata, quo flagella mortalibus parata ſuſpenderentur, genas vnguibus diripere ſibi, & corporis membra dilacerare ſic eſt aggreſſa, vt vi tormenti animi deliquio iterùm laborauerit: poſtea, reuocato animo, inuentoq. quod ſuus Amor Cruci affixus iam diſceſſerat, ſibi penitus crines auellit; ſeſeq. ictibus ad-

*Iterùm deficitur animo.*

eò con-

deò contudit, vt pedibus inſiſteret am-
pliùs non poſſet: Dei autem erecta ſub-
ſidio; & Hominum à ſceleribus ad eius
gratiam perducendorum ardens cupidi-
tate incredibili, Chriſti in Cruce ſuſpen-
ſi deſumpſit effigiem; ac per vias Ciui-
tatis exuerit, vt ad pęnitentiam exciret
vniuerſos: cumq. ad Sanctę Marię in po
dio perueniſſet, ante aram, in quà Sa-
cramentum auguſtiſſimum ſeruabatur,

*Tertiò de fectu ani mi labo- rat.*

in genua proſiliēs, oculos in lachrymas
liquans, ſilice pulſans vehementer pe-
ctus, tertio relicta eſt animo. Interea
dum humi iaceret, quidam in Templum
ingreſſus ciuis, miſericordià commo-
tus eam excuſſit, ac reducere domum

*Per Ci- uitatem omnes ad pęnitētiā perciet.*

ſtuduit: illa verò ſubito feruore corre-
pta per frequentiſſimas Ciuitatis vias
regreſſa eſt clamitans, vt ſceleſti abole-
rent flagitia, quorum acerbitas diuinam
Iuſtitiam ad vltionem prouocaret; & ſi-
gnum corrigendarum culparum deſide-
rij aliquod ederent. Quod quidem prę-
ſtitit populus veniam cùm lachrymis
flagitans, ac diuinorum pollicens per-
petuam deinceps Mandatorum cuſto-
diam. Ex hac pià populi commotione

Hęre-



*Hęreti- corum in Roſam inuidia.*

Hęreticorum odium redundauit in RO-
SAM implacabile: quorum furorem in
cellę ſe anguſtias recipiens euitauit: ibi
verberatione ſe cruentauit aſperrimà,
totum, ſi licuiſſet, cruorem effundere
cupiens Sponſi ſui cauſà, cuius deinde

*Dies tres manet ie iuna.*

tormenta ratione, animoq. luſtrans tri-
duum ipſum ieiuna omninò fuit, ne a-
quà quidem guſtatà, flagellis pręterea in-
nocentes artus non raro inſectans. Ve-
rùm męrori, quem ex Chriſti dolorum
contemplatione percipiebat ſolatium al-
latum eſt alià eiuſdem Chriſti Domini

*Radians Chriſtus Dom: ei apparet.*

ſpecie ei oblatà: nam e Cœlo delapſus
illi adſtitit admirabili formà conſpicu-
us, radijſq. circumdatus, tam officioſ-
us, & comis, vt difficile dictu ſit, quan-
tà eius animum lętitià cumularit, illi
ſignificans, eam a ſe acceptam in ſpon-
ſam ab eo die, quo pauperis Diui Fran
ciſci induerat habitum: illa contra ab
ipſo poſtulauit, vt pectus conſecraret,
ſibi vna cum ſuaueolentis mentę faſcicu
lo, quem a matre e domeſtico vaſe com-
pactum afferendum curauerat, atq. ini-

*Vaticini um de*

bi collocarat; utq. arctum conclaue ſu-
um, & angulum illum domus dedicaret,

D illum

*Angulo cellę ſuę proximo, de ſuarũ Reliquiarum cultu, & aſſerio.*

illum cum Santę Marię roſarum cęnobio, cui erat conterminus (quod cęnobium, ſuum, vocauit, cum rem matri retulit) in vnitatem coiturum, ſueq. mortalitatis exuuias in eodem cęnobio ſeruatum, atq. obſeruatum iri prophetico more pręſentiens: morigerus ei fuit Sponſus amantiſſimus; & ſublatâ dexterâ ſalutem, ac felicitatem impertiens eius ſeſe oculis abſtulit, eiuſdem tamen, ex viſi memoriâ, relictâ mente lætiſſimâ. Memoratum faſciculum matri dono dedit, vt maximâ cum curâ ſeruaret: poſtea immenſę iucunditati intus cohibendę impar, per Ciuitatis plateas, vicoſq. die, ac nocte diſcurrebat pios hymnos, & ſacra canens carmina voce Beatum Cœli Alitem ſonante; quâ percitę ROSAM multę matres, ac virgines ad concinendum ſequebantur, ita vt ſuauiſſimus inde concentus cęleſti harmonię tanquàm imago reſonare videretur.

*Dei laudes vulgò die, ac nocte decantat.*

CAP.



*Puellas erudiendas ſuſcipit; concionatur palam: Quid illi cum Hęretico inter concionandum acciderit.*

VT Bonum latè diffundi expetit; ROSA, quę Bona maxima e Cœlo poſſidebat, cupiens in alios transfundere ludũ aperuit ad puellas aliquot Uiterbienſes ſuis moribus imbuẽdas. Quã ob rem illas monebat aſſiduè, vt rerum caducarum luxui vale dicerent, atq. vnum induerent Chriſtum Ieſum: &, vt erat ipſa pudicitiâ, demiſſione animi, modeſtiâ, obtemperatione, paupertatis Euangelicę amore, aſperitate vitę, patientiâ, cęteriſq. virtutibus optimè inſtructa, eximiâq. in Deum charitate incenſa; ita iiſdem eas virtutibus exoptabat penitùs informare hortans, vt ſeruatoris cruciatus extremos in animo frequentarent quotidiè. Illę ROSAM mirificè diligere, obſeruare, eiq. obtemperare: cum illis ipſa ſingulis diebus ad concionandum exibat Crucifixi imaginem manu gerens; & Ciuitatem peragrans catholicam edocebat, confirma-

*Scholam puellarum inſtituit.*

*Quę doceret.*

*Concionatur omni die.*



batq.

batq. Fidem; ſchiſmaticorum errores, ac prauam doctrinam refellebat: Criminis turpitudo, eiuſq. damna, ipſa edifferente, extabant; ab ipſa apoſtolicę Fidei cultoribus ad emendationem morum; ſchiſmaticis ad eius amplectendam veritatem adijciebantur ſtimuli: voci pondus addebant lachrymę ex oculis fluentes, dum ex ore omnibus cum pietatis viribus verba prodirent è ſacris Paginis, ſanctorumq. Patrũ allata voluminibus, cum litterarum ſtudijs nunquam operam dediſſet ROSA. Hac de cauſa Hereticorum reſipuere multi; ſchiſmaticorum ad Romani Pontificis obſequelam multorum erat reditus; ſceleſtiq. plurimi e vitiorum emergentes cęno ad bonam ſe frugem recipiebant. Non erat ROSA decenni maior, dum hęc ageret vnico ſancti Spiritus afflatu, obduratis in prauitate Hereticis infrementibus, quorum neſcio quis, dum ea in Uerbi diuini prędicationem in quadam Uiterbij platea incumberet coram frequentiſſimo populo, pari cum Religionis verę ſectatorum, & ſchiſmaticorum in loquentem intentione, ac fructu, in multitu-

*Modus concionandi.*

*Concionum fructus.*

*Hereticii livor.*



multitudinem ſeſe mediam inſeruit; & ipſam irridendo inſequens, ipſiuſq. ſacra monita, in eam, perinde ac ſi non videret, irruens, magno cum impetu eius brachio ſe impegit: dolorem, ignominiaq. ſancta pertulit ęquo animo; ſed ſibi deſeruientium res, & honorem tuentis Dei vltionem prophetice denunciauit Heretico, ad eum vultu, ac ſermone conuerſo dicens: Intrà triduum èa in te apparebit nota, vt hominum vniuerſorum digito ſis oſtendendus. Quod prorſus euenit: intra dies enim tres crines cuncti cum ſuperciliorum, ac barbę pilis Heretico deciderunt, ita vt neq. ſe ipſe in ſpeculo poſſet ſine rubore inſpicere; neq. ab alijs aſpici ſine riſu.

*Prędictio Rosę de Heretico.*

## CAPUT. XI.

*Cęco viſum reddit; & dum concionatur, eleuatur in aerem.*

INgens populus ad eam audiendam, cum feruidas haberet conciones, vndique confluebat: cum vt ſalubria monita, tum vt conſolationem, opemq.

perciperet. concionabatur autem ſemper ſuſpenſi in Cruce, ſibi in corde impreſſi Christi Dominiſimulacrum manu præferens, pro ſuggeſtis in ſacris Ædidus; in plateis, vbi denſiſſima multitudo; in vijs tritis, quem concionandi ardorem Deus interdum miraculis commendauit. Quodam die, cum loqui ad populum deſiiſſet, Uiterbienſis quidam Andreas nomine, ab annis non paucis cęcus, ei ſe ſiſtit optatiſſimam ab eà lucem expoſcens: orauit ROSA parumper; mox cęcum interrogat, an alacri Fide Christi Iesu omnipotentiam credat, quam cum, ſe credere, ille reſpodiſſet; ipſa ſignans eum cruce e cęcitate eripuit: quo effecit, vt Hereticorum plures obductos nequitię tenebris oculos verę Fidei lumini reſerarent. Alià vice prodigium poſt Hominum memoriam inauditum concionum eius laboris, Deo maximoperè probati teſtimonium ipſi dedit, vſq. ad hoc tempus, vni. In quadam Uiterbij plateà verbi Dei pabulum innumero populo ſuper ęquati ſoli grauiſſimum lapidem diſpendens, audiri, videriq., quod' ſtaturà eſſet breui non poterat ab omnibus, quos videndi cupiditas incendebat, cum repente ſaxum, cui eius inſiſtebant plantę, eleuari in aerem (nouitati rei cunctis adſtupentibus) viſum cnm ipſà eſt, atq. ita manere, donec à prędicatione deſtiterit; ac tunc in locum priſtinum, cum eadem deſcendere in prędicationis ROSAE confirmationẽ clamans portento.

*Cęco viſum reddit.*

*Saxum ei concionanti ſubſtans in ſublime effertur.*



## CAPUT. XII.

*Cum Hereiicis diſſerit; eoſq. confundens in exilium pellitur.*

CUm Hereticis diſceptauit rationibus vtens robuſtiſſimis; Prophetarum, atq. Euangelij teſtimonijs eas confirmans: & ſanè tantà cum pietate, ac feruore, vt ad anguſtias illos redegerit: quà de cauſà iracundià ringebantur, inanem ſentientes fraudum ſuarum tutelam: ſpectantes huiuſmodi concertationes verę Fidei conſectatores perquàm ingenti cumulabantur gaudio Diuię plaudentes: aduerſarij contra perturbati, & populi ROSAE fauentis tumultum

um ſuſpicantes, ſi in eam manus inijcerent; poſtquàm ipſam amentem eſſe perſuadere turbis fruſtra contenderant, de earum ſed vctione apud Pręſidem accuſauere, vt pote quę eaſdem ab ipſarum Principis Friderici ſecundi Imperatoris obſequio abduceret: putauit eam Prę-ſes, nomine Maieſtatis, capite plectendam: verùm, tum quia ętas virginis immatura erat; tum quia ſeditionem pertimeſcebat, ſolùm vt Uiterbij catholicà de Fide verba ne faceret, interdixit animaduerſurum ſe in eam grauiſſimè minitans, ni pareret. Non deſtitit illa tamen ab opere, quod Cęleſtis iuſſu ſponſi ſuſceperat, vniuerſos hortari pergens, vt Euangelicà in lege permanerent, illam parati, ſi res poſceret, profiteri etiam armatis dexteris aduerſus eos, qui in impij Friderici, romanę Fidei infernſi, poteſtate eſſent. Comprehendere hac de cauſà ROSAM Hęretici; ac verberauere ſęuiſſime: quam ipſa iniuriam ęquiſſimo tulit animo; nec tamen abſtinere ab Apoſtolico munere potuit ab diuini Amatoris charitate nullà vi ſeparabilis. Quod, cum nimis graue Hereticis

*Ab Hęreticis vapulat.*

ticis



ticis eſſet, in eam, vt interficerent, irruerunt, ſed inani conatu, interitum ab eà diuinę Protectionis clypeo propellente: adeunt nihilominùs Pręſidem, deq. ROSÆ contumacià monent: veritus ille, ne adminiſtrationem ſibi abdicaret Cęſar, ſi vere Fidei Uiterbij progreſſus, & Schiſmatis, quod propugnabat ipſe, detrimenti fama ad eum perueniſſet, ROSAM, & parentem eius vtrumq. accerſit; edicitq., vt Uiterbio abeant exulatum intra illius precisè diei ſpatium; aliter bonorum publicationẽ, & capitale ſupplicium comminatur. Quà ſententià pronunciatà, ſtatim eius iuſſu apprehenſa eſt ROSA; & extra Ciuitatem deducta, eam, interea dum iter, exibilantibus, ac variè exagitantibus Hęreticis, omnia illà non inuicto modò, verùm hilari etiam animo perferente.

*Pellitur in exiliũ.*

## CAPUT XIII.

*Sanctę ROSÆ in itinere ad exilium Ærumnæ.*

VT Uiterbij portis exiuere, ROSAM cum parentibus montem verſus

iter

iter capere compulerunt initio Decembris annià partu Uirginis milleſimi ducenteſimi quinquageſimi, hyeme, quà non aliàs experti frigidiorem fuerant, vt calamitatum multitudine peſſum irent ( quemadmodum ſignificauerat Preſes Ioanni, & Catharinę prorogationem diſceſſionis, tempeſtatis incommodę, natęque conſtitutionis gracilis nomine flagitantibus ). Itaq. ingreſſi iter ſunt ignotos, aſperoſq. per tramites: obrutus erat mons niuibus lapſis, labentibus etiam eo tempore continenter: quare gelu gliſcebat acerbitas, & rigor borealis: viæ aut nullum apparebat veſtigium; aut ab eà per ſepè aberrabant huc illuc palantes iugi cum diſcrimine vel ex rupe aliquà corruendi, vel reperiendi in illis niuium voraginibus tumuli concidendo: incedebat ROSA inoperto capite, excalceatis pedibus ( qui etiam itineris proceſſu duris offendiculis ſaucitati copioſo fluebant cruore ) cilicio incincta, vnius tantùm adnuditatem tegendam tunice indumento amicta: calamitates ęquo animo tolerabat omnes, genitores lapſos, merenteſq. conſolans, atq. ad con-

*Itineris labor, & calāiias.*



concipiendam in Deo fiduciam excitans, qui ſibi adherentes perdi non ſinit. Inter hęc eos in medijs illis inhoſpitis nemoribus ſub dio moraturos occupauit nox, dum indeſinenter ningeret. Aquilonàri obrigẽtes frigore ROSAE parentes; & occurrentium ſub illo noctis horrore Ferarum metu exareſcẽres ſuper gelidas niues prę laſſitudīe ſe proiecere, quin liceret ipſis eà nocte ne modicā quidem quietem capeſſere: prohibebantur enim vno in loco diù conſiſtere, ne continuè decidentibus niuibus, eoſq. aſpergentibus opprimerentur: ſolicitos habebant Ioannem, & Catharinam filię anguſtię magis, quàm ſuę: ipſa contra tam vehementer illorum angebatur malis; vt, niſi ad Dei ſe arbitrium, ac nutum omninò accommodaſſet, fuiſſet dolore interitura: ſuadebat ipſis, vt omnia Chriſti cauſà ſuperarent: nullos enim ab ipſo huiuſmodi cauſà paſſos abſq. remuneratione dimitti: illa tamen cruciatibus proprijs non modò tangebatur minùs, quòd noctem illam totam in Chriſti tormentorum conſideratione tranſigeret; verùm etiam grauiora experiendi ſtudio inflammabatur. CAP.

*Chriſti pænarum meditatio optabiles facit maiores pænas Roſæ.*

## CAPUT XIV.

*Suriani populum auocat ab errore; & Friderici Secundi mortem prænunciat.*

NOcti tam atrę pulcher, ſerenuſq. ſucceſſit dies, qui iter illis oſtendit: qua propter Surianum verſus, quod eſt oppidulum in Cimino monte poſitum millia paſſuum octo Uiterbio diſtans, perrexerunt. Quò, vbi tot poſt casus, ac tanta diſcrimina ſemiuiui peruenerunt, cum egiſſent Deo liberatori ſuo gratias, uires more pauperum aliquantulùm refecerunt. Continuò ROSÆ aduentum fama Suriano peruulgauit: & populus, qui anteà miracula, virtuteſq. eius perceperat auribus, ad ipſā oculis vſurpandam, atq. vt Beatam Cęli mentem in humum delapſam honore afficiendam aduolauit. Et verò celeſtis Ciuis ROSA ſpeciem prębebat ore inceſſu, ſtatu: nullus eius, niſi de Deo, ac Dei Fide ſermo: cunctos hortabatur, vt Hęreticorum, qui Friderici Secundi ſequebantur partes, erroribus renunciarent;

rent;



rent: nec fruſtrà diuini Uerbi eiecit ſemina: ſiquidem & admirabilis exemplo vitę, & miraculorum perſpicuitate firmans verba perfeci, vt ingens cum lętitia populus ille ad Romani Pontificis obſequium reuerteretur, ſanguine catholicam Fidem paratus defendere. In hoc pago, noctu ipſi, dum orationi nauat operam, conſpiciendum ſe exhibens Ales Diuinitatis Nuncius indicat, eius preces cum Piorum precibus coniunctas à Deo exauditas: Eccleſiam enim, quę tandiu exagitata hęretica prauitate fuerat, pace potituram breui, Hęreſi extirpatâ, veràq. Religione Italiâ totâ, vbi ſui cultus damnum fecerat exuſcitatâ; Sanctiſſimum Patrē Innocentium Quartum ad ſuam Romanam Sedem incredibili cum Fidei cultorum exultatione reuectum iri ex Galliâ; prętereà, ne deſineret oues deuias ad Uniuerſalem Paſtorem reducere, eam monuit; ac de futuro intra octo dierum interuallum Friderici ſecundi interitu fecit certiorem. Gratias pro officio immenſę Dei bonitati egit ſancta; ac die inſequenti nonis Decembris milleſimi ducenteſimi quinquageſimi

*Angelus Eccleſię paecm Pontificis Romani reditum, & Friderici mortem ei ſignificat.*

quageſimi

quagesimi proximum & Innocentij Quarti ex Gallia reditum,& Friderici maximè obitum populo in concione prędixit in hęc verba:Heus Christo Ieſu fideles, heus vos, qui ſpem in infinità ipſius & ſapientià, & Potentià collocatam habetis,aurem adhibete mihi omnes; mecumq. lętaminor,nuncij vobis optimi ſum auctor, nuncij, qui ſolatium afferet maximum,& quietem vniuerſis,ac totiChtiſtianę Reipublicę Uiſum eſt Deo de medio tollere Fridericum illum Imperatorem, hoſtem catholicę Eccleſię acerbiſſimum, & inſectatorem ſeuiſſimum: nunciabitur vobis poſt paucos dies certiſſimum id, cuius hodie ſum ipſa prenuncia: triumphnm poteſt iam agere Dei Eccleſia ſuam recuperans libertatem aduerſarij ſui exitio: exultemus; atq. vſurà non falſi gaudij cuncti fruamur; agamuſq. Diuinę Clementię gratias, quę poſt errores tam multos conſolari ſuum populum eſt dignata,eumq. tot ex calamitatibus expedire. Uaticinium vtriuſq. rei comprobauit euentus: cum & ad Uaticanam ſedem Romanus Pontifex





tifex remigrarit ex Gallià; & Fridericus idibus Decembris Farentini,in Apulię Daunię pago iam excidio,ac ruinis dato extinctus ſit, vel febri, vt quidam opinantur; vel toxico, vt alij; vel, vt non nulli, à Manfredo filio patris locũ occupandi libidine percito; puluinari dormientis ori impoſito,prefocatus.ſed, vt vt iltud acciderit, parui refert: illud exploratum eſt,quod iuxta ROSAE prędictionem, haud multis poſt diebus eius certę mortis allati ſunt nuncij, maximo equidem cum Fidei amatorum gaudio: nam maximè impius perſecutorum fuit, quos per plura ſęcula contigit ſuſtinere Eccleſię.

## CAPVT. XV.

*Viterbienſium motus auditò Friderici morte: Viturchilanum ſe transfert ROSA: eius prędicatiouibus plurimi reſipiſcunt: eiuſdem inibi miraculum.*

VIterbienſes, accepto de Friderici ſecuudi obitu nuncio minimè dubio,ſtatim Imperatoria vexilla diſcidero

re; ſignumq. ſanctę Eccleſię extollentes Preſidem, atq. Imperatori fauentes eiicere Ciuitate. Dum hęc aguntur, ſancta Virgo Viturchlanum, in caſtellum quatuor millia paſſuum à Viterbio diſiunctum, iter direxit: eo quod famà, & auditione acceperat, peruerſum illic fuiſſe populum Sagę, eiuſdemq. hęreticę prauitatis magiſtrę operà, quę falſis inſtitutis, ementitis miraculis, & ſanctimonię ſimulatione oppidanos, ità Hęreſeos veneno imbuerat, vt cum ab omni Eccleſiaſtico ritu, tùm ab omni catholicę Fidei pręceptione aborrerent. Huc ingreſſa ROSA ardentis, lucentiſq. facis inſtar illas cępit Perfidiæ vmbras diſijcere, perditæ Sagæ captiones patefaciens. Pugno Crucifixi vexillo apprehenſo, conciones per plures horas Viturchlani habebat quotidianas, non ſine acceſſione Animarum ad Chriſtum ingenti: hortabatur incolas, vt ad Sanctæ matris Eccleſiæ gremium remearent, propinquam in eos Dei animaduerſionem, ſi differrent, comminans. Ex aduerſo Saga, vt in Friderici ſecundi obſequentià, præſcriptiſq. à ſe legibus per-



perſtarent, iiſdem ſuadebat. Quare populo, vtri earum habenda fides eſſet, vtra vera eſſet Eccleſia, vehementi erat in dubio. Verùm illi dubitationem auferre exorſus Deus eſt re admirabili: ſiſtunt ROSAE puellam cęcam ab ortu, nomine Delicatam, vt viſum ei largiatur: ipſa, oratione premiſſà, ſuper orbę oculos Crucis exprimit ſignum; & illos Delicata confeſtim aperuit. Ob miraculũ tam conſpicuum, fuit nemo, cui non conſtaret, Catholicam veram eſſe Eccleſiam; & quem ab eà deerraſſe non peniteret, ſagà exceptà quæ, etiam ſi toties exploſa, atq. conuicta, rationibus tamen, quas proferebat ROSA, Euangelicæq. dottrinæ, quam exponebat, acquieſcere tunc noluit, ad ſigna mox alia, & prodigia creditura.

*Cęcam à matris vtero luce donat.*

## CAPUT. XVI.

*Miraculo maximo Sagam conuertit.*

SEntiens ROSA, factis opus eſſe ad abigendam Viturchlano Sagam, quæ ibi ſanctæ Fidei erat offendiculo,

 Dei

Dei afflatu pacta eſt, ſe viginti dierum ieiunium ſeruaturam, ſumpta interim, vel ad cibum, vel ad potionem re nullà, vt ſic, à Deo, cuius edocebat Fidem, ſe retentam in vità pateſieret: retulit Saga, ſupra Naturæ vires id non eſſe: tùm quia Grues, Lupiq. viſi ſunt vitam vltra menſem eſcà prorſus nullà propagare; tum quia eiuſmodi ipſa eſſe poterat corporis habitudine, vt facere id poſſet, quin ſupra Naturæ ordinem operaretur. Hoc obtentu eam Uirtutis opinionem tueri viſa eſt, quà florebat apud Uiturchlani populum, quem captioſarum demonſtrationum fuco deceperat. Sed aliud cepit ROSA conſilium: lignorum ſtruem iubet in plateà erigi, campanarum pulſatione populum conuocari, vt ad ignis probationem aurum veræ Fidei comperiret. Haud mora, pyra ſuccenditur; & flamma iam gliſcente, breui precatione priùs ad Deum fuſà, in medium rogum ſancta Heroina inſiluit; inibiq. tres horas permanſit, ſcilicet quandiù ſtrues conflagrauit, huc, atq. illuc ſe inter flammas verſans, tanquam ſi ſe inter flores oblectaret, nunc ſacra Deo pſal-

*Pyram inflammatam conſcendit.*



pſallens carmina; nunc ſpectatores ad amorem in Deum ingeis adhortantionibus incitans. Deniq., redactis in cinerem lignis, egreditur admiranda Uirgo, prorſus intacta; illæſo non corpore modò, ſed etiam veſte. Ad miraculum eiuſcemodi Saga ipſa veram eam agnouit Fidem, quæ à ROSA docebatur; & coràm ipſà, eorumq., qui circa erant, turbà diſſeminatos tanto cum animarum detrimento errores madefacta lachrymis eiurauit; ac pœnas vitæ nefariè actæ conſentaneas pendere firmo conſilio ſtatuit, efficiente Deo, vt magis Euangelicæ ſegeti hoc fletu proficeret, quam, doctrinæ fallacis Lolium diù ininterſerendo, nocuerat.

*ſiue læſione rogo deſcendit Conuertitur Saga.*

## CAPUT XVII.

*ROSAE Viterbium reditus, edito priùs animarum fructu in pagis Viturchlano adiacentibus. Concionandi poteſtas ei à Summo Pontifice data.*

CÆleſtium virtutum, ac rerum mirificè geſtarum meritò, vt antea Surianenſium; ita nunc Uiturchlanenſis

corda adeò ſibi ROSA deuinxerat, vt eam hi venerari, & colere, atq. ad eam afferre munera non deſinerent: illa contra contemptus auida, applauſibus, ac donationibus aduerſa omnia recuſabat, eleemoſinis ali ſolis gaudens; Quare, illo populo in Pietatis iam ſtudio roborato; Uiturchlano omnium cum oppidanorum mœrore ſe Uiterbium tranſtulit. Uerùm animarum queſtus cupidiſſima, antea pagos finitimos peragrauit: nec ab eorum quoquam priùs diſcedebat, quam illum aut ab Hereſi ad Fidẽ; aut à precipiti vitiorum via ad rectum virtutis callem traduxiſſet. Annus erat à Chriſtiparà virgine milleſimus ducenteſimus quinquageſimus primus; ętatis ROSÆ vndecimus, cum ad patriam peruenit, à qua triumphantis in morem fuit recepta: ſed ipſa in ſui limi cognitionis imum ſeſe immergens, Ciuium ſuorum obſequijs, & acclamationibus adnixa eſt ſe ſurripere ſub pauperis domus ſuę tectum confugiens, vna cum parentibus: incedebat verecunda adeò, & modeſtaq; vt Beati Alitis in humanà faciei ſpeciem exhiberet: innumera comitantium



tantium multitudo videndę eius cupiditatem explere non poſſe videbatur. Interea eius vitę Sanctiſſimę, fructuſq. animorum vberis per conciones relati perſuaſerat fama ad Pontificem Innocentium Quartum iam ex Gallia in Italiam reuerſum: iſq. hac fama inductus anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo predicandi verbi Diuini, Sacrarumq. litterarum exponendarum ei facultatem motu proprio eſt largitus. Neq. enim vetatur Chriſti Uicarius heroicę ſanctitudinis Fęminis huiuſmodi facultatem concedere, cum eam ipſe Chriſtus Dominus mulieribus dederit, ipſas ad erudiendos de ſuo ad vitam reditu Apoſtolos amandando.

*Innoc. 4 Roſę concionandi, & ſacra Oracula interpretandi dat vltrò facultatem*

## CAPUT XVIII

*Idem Summus Pontifex ob Cœleſtes ei Honores ritè conſtituendos, eius adhuc viuentis acta cognoſci iubet.*

CUM ROSA, ſupra quàm cuiq. credibile eſt, ſanctitate excelleret; vt ei etiam extra ordinem honor haberetur,

*Nardus* tur, par erat. Quo circa eodem anno
*l. 2. vit:* milleſimo ducenteſimo quinquageſimo
*c. 13.* ſecundo, octauo calendas Decembris
idem Pontifex Innocentius Quartus Ui
terbium ad Cenobitarum Sancti Domi-
nici Prępoſitum in pręclaro Sanctę Ma
rię ad gradus Cenobio, atq. ad Sancti
Xiſti Archipresbyterum Apoſtolicas mi
ſit litteras, mandans, vt ROSÆ, tum
duodecim años natę, acta cognoſceret;
queq. vſque ab infantia ſupra Naturæ
vires operata eſſet, vniuerſa deſcriberet,
quo inde poſtea è Mortalibus egreſſa
poſſet Sanctorum Ordini adſcribi. (Ho
nor pręcipuus, & vſq. ad hoc tempus,
quod' nouerim, Sanctę ROSÆ Uiterbi-
enſi collatus vnicè!) Quod ſi quis obij-
ciat, Pontificias litteras poſt Sanctę Uir
ginis obitum datas; obijcentem moni-
tum velim, plures annos vixiſſe Inno-
centio ſuperſtitem ROSAM: compertum
*Proceſ:* eſt enim ex eius actis iuſſu Caliſti Tertij
*c. 1; pag:* Pontificis Maximi cognitis, eam San-
*58. in fi-* ctiſſimi Patris Alexandri Quarti tempo
*ne.* re ad Cœlum migraſſe. Prętereà à Ma-
ioribus traditum accepere perpetuò ſi-
ne vllà prorsùs dubitatione Poſteri, in-
ter



ter viuos numeratam fuiſſe, cum diplo-
ma Pontificium tranſmiſſum eſt, RO-
SAM. De examine verò ſuper Sanctę a-
ctis ob eam inter Sanctos referendam
ab Innocentio Quarto Uiterbij deman- *2. tom.*
dato loquuntur Uuadignus Franciſcane *Annal:*
Familię clarus Hiſtoricus, & Ciacon. *Min:*
vir Prędicatorum Ordinis apprimè eru
ditus: at Uuadingus, ROSAM curę ex- *an: 1252*
aminis ab Innocentio commiſſę Uiter- *n. 14 in*
bij morte prereptam credidit. Uerum, *vit: In-*
cum hoſce per Auctores exploratum ſit, *nocent: 4*
Pontificale diploma ſupra indicatum à
ſummo Paſtore Innocentio Quarto da-
tum; perq. eius in ſanctorum Ordine re-
ponendę cauſam Beatiſſimi Patris Ca-
liſti Tertij imperio cognitam (quod la-
tuiſſe Uuadingum, fateri neceſſe eſt) li-
queat, Sanctam Uirginem Innocentij
ſuperfuiſſe vitę, dicendi ſunt lapſi opi-
nione librarij in tranſcribendis ab ex-
emplari Apoſtolicis litteris, eam arbi-
trantes extinctam, eo quod in more ſit
poſitum, ob illos, qui ex corpore iam
exceſſerint, edi talia diplomata; qui er-
ror Uuadingo, alijſq. deinde ſcriptori-
bus, ità opinandi occaſio fuerit, quema-

 dmodum

*lib:3 extra ord: pag.234*

admodum in huius non ęquiparabilis Uirginis vità, quam patrià dictione accuratè deſcripſit Pater Camillus Maria Rinaldus Florentinus noſtrę Societatis argutè diſſeruit.

## CAPUT XIX.

*ROSA in ſacrarum Virginum collegium cooptari rurſus flagitat: non cooptatæ Vaticinium.*

EIus diplomatis famà Uiterbij diuulgatà: cum eà iam ipſius ROSÆ circumſonarent aures, ad hominum exiſtimationem, quę, progrediente ętate, magis, ac magis increſcebat, euitandam animum adiecit: idcircò Sanctę Marię roſarum Uirgines deprecata eſt iterùm, vt ſe ſuum in conuictum reciperent, ſeſe ad earum pedes abijciens, ac genibus flexis ad infima Monaſterij munia exercenda promptiſſimam pollicens; verùm reſpondere illę, à Cęnobio ſuum haberi numerum; nec vlli ſupereſſe locum: neq. ſuper numerum poſſe ipſam admitti: quippe quę indotata ali nequaquam

quàquam



quaquam poſſet: ſe verò nullam addere ijs, quę tunc inerant, ſtatuiſſe omninò. Senſit ROSA his nominibus celari repulſam ſuam, egenę, incomptę cultu nullius ęris in ſpeciem; attamen diuinę obſecundans Uoluntati, hilari, ac ridenti „vultu ijſdē hęc vaticinans eſt locuta; Si „ipſis viuens minùs placeret; nec adſciſcere ſe in ſuū numerum vellent, ipſā ad„eas venturam eſſe defunctam, tunc eſ„ſe lętaturas, quod ſe acciperent; ſem„per apud ipſas moraturam; nec inter „eaſdem laboraturum contemptu no„men ſuum. Quibus prędictis, tranquillā fronte, ac motu concinno digreſſa eſt geminato cum glorię incremento, vel quod ſe Deo, cui optatum pro dato eſt, obtulerat; vel quod repulſam acceperat ęquo animo, ſacras Uirgines conturbatas relinquens, deq. dimiſſā tot virtutum theſauris locupletiſſimā puellā triſtes.

*Vaticinatur ſe apud monaſtrias futuram mortuam.*

CA-

## CAPUT XX.

*Oratorium inſtituitur, vbi ſanctitatis cultu aliquas Viterbienſes puellas ROSÆ inſtruit, quod Monaſterij Sanctæ ROSÆ nomen acquirit.*

MIcabant Viterbij, in ceteris, morum laudabilium radijs Virgines nonnullę, quas ROSA decennis erudire inceperat; & ſanctę diſcipulas ab eius Vitę imitatione vulgò nominabant; vt cum his ipſa Dei obſequio, & animi cultui operam commodiùs nauaret, Petrus Capitoſto ſupra memoratus, qui ROSÆ confeſſiones excipiebat, cum ipſa omnes in ęde, quam instar cęnobij magis, quàm oratorij extruendam locauerat, concluſit: ibi ſub ROSÆ, annum iam quintum decimum egreſſę, diſciplina Cęleſtem ducebant in Terris vitam; ſuperna meditabantur; Pſalmos concinebant; ieiunijſq. ſingulorum dierum, & verberationibus membra conficientium crebris magis expeditus in dies ad Deum meriti parabatur acceſ-

*ROSÆ diſcipularum vita.*

ſus;



ſus; vigilationes eis ſacrę erant in delicijs; nulli, quocumq. euentu, à receſſu permittebatur exemptio. Quo vitę inſtituto ędem Viterbienſes *Sanctę ROSÆ Monaſterium* paſſim appellabat (vt ex quodam Alexandri Quarti Pontificis Maximi, de quo mox meminerimus, ad Episcopum Viterbienſem Diplomate perſpectum eſt). Futurum erat, vt omnium ferè Viterbienſium puellarum magiſtra in Pietate fieret ROSA, ni hoſtis tartarei aſtu, obtrectationibus improborum, atq. inuidia, contra eius Collegium concitata tempeſtas eſſet. Martię roſarum Aſcetrijs. Per pontificales Sanctiſſimi Domini Alexandri Quarti Litteras conceſſum his priuilegium fuerat, nequod aliud aperiretur Aſceterium circa ſuum, pręter quàm mille paſſus vltra: igitur priuilegij ſeruandi ſtudium pretexentes, Diui Matthęi Paręcię Sacerdotem rogauere, vt eiuſmodi pontificalium Litterarum vi, congregationis ROSÆ inhiberet progreſſum: quod illo, & propter puellarum eximiam virtutem, & propter fructum, quem inde maximum Ciuium animę de corpe-

*Dæmonis fraude oratorium diſſipatur.*

bant

bant, aggredi recuſante; ipſe libellum ſupplicem eius rei obtinendæ gratia ad Pontificem Alexandrum tunc Ananiæ reſidentem miſerunt, qui Pontifex, diplomate ſexto calendas Quintilis milleſimi ducenteſimi quinquageſimi quinti dato, Uiterbienſi Epiſcopo earum in Priuilegio tuendarum curam commiſit: paruit ille mandato Pontificis ROSAE oratorium abolens: quia nimirum diuina Prouidentia, quas ROSÆ moribus informandas ibi deſignauerat, puellarum numerum iam collegerat.

## CAPUT. XXI.

*In anguſtâ ſuæ domus cellâ condit ſe ROSA: Vita ibi acta, morſq. ab eâ obita.*

ID euenti ROSÆ argumento fuit, Deo placere, vt ea ſibi non amplius tali in munere deſeruiret; ideòq. in conſuetum ſuæ domus receſſum, qui ei paruulæ fuerat eremi loco, & carceris, contulit ſeſe. Ibi annos binos, qui reliqui ei fuerunt Uitæ, auſteris adeò ſe ieiuniis dedidit, vt interdũ dies tres, interdum octo

*Admiranda ieiunia.*





octo ſine cibo prorſus vllo protraheret; quamquam cibis ipſe, & potus, quo rarò vtebatur, tam tenuis erat modici panis, & aquæ pauxilli, vt ieiunium potius diei poſſet: Uerum, quantum ſibi de ventris eſcâ detrahebat; tantum cæleſtis ei Sponſus deliciarum reponebat Mentis, quibus perfuſa integras in precibus conficiebat noctes, genibus humi nixa: ſomno ſe permittebat breuiſſimo ſuper aſſerem: carnem dilacerabat vſq. ad oſſis aſpectum flagello, ferreis cuſpidibus rigente: cilicium, quo aſperrimo cinctos gerebat lumbos, ne deponebat quidem eo tempore, quo laterum furiali dolore torquebatur, corde ei ex dolorum Chriſti coſideratione propè liqueſcente: ferè aſſiduè eius animus auocabatur à ſenſibus; & collocatâ ſemper in Deo mente nec gelu ſentiebat aculeos, nec æſtus impreſſiones: Tot corporis exeſam afflictationibus, præſentiſq. pertæſam vitæ ad æternam inuitarunt requiem alati Cælites, qui ei ſeſe pulcherrimis ſub imaginibus oſtendebant. Hac de cauſâ enixè ſacroſanctum Chriſti Corporis Uiaticum poſtulauit, cui accipiẽ-

*Precatio*

*Somni modus.*

*Verberationes, & Voluntarij corporis cruciatus.*

*Angelicæ viſitationes.*

*Sacra-*

*mentis Eccleſię vult foveri.*

do quò ſe pro dignitate compararet, vt in genua ſubſidens humi poneretur, obtinuit ; petijtq., vt è cubiculo egrederentur cuncti . Poſt ſacrum Viaticum ſumptum , in exceſſu mentis à corpore paruam temporis moram immobilis perſtitit :dein ad ſenſus reuerſam adortus eſt maximus languor ex amore Dei vehementiſſimo , & grauiſſimo profectus morbo : quare ſuper lignum, vbi exiguam carpere quietem conſueuerat,ſe proſternens extremę Vnctionis myſterio eſt munita ſui ſemper compos;deinde Chri

*Mortis modus.*

ſti Domini in Cruce ſuſpenſi effigiem inter iunctas tenens palmas,modò in illam , modò in Cęlum oculos conijciebat; & commendato poſtremum in monitum parentibus , & auditricibus ſuis *Dei amore* , atq. *animi demiſſione* , bene precata ipſis eſt ſuper omnes ſignum Crucis efformans , eleuatà eà , de quà ſuprà , Chriſti effigie , quam mox brachijs in decuiſſem compoſitis eſt amplexata : ſuauiſſimaq. repetens nomina . Ieſus, & Maria , Diuoſq. Ioannem Baptiſtam , Franciſcum , ac reliquos inuocans tutelares Sanctos,Cęleſtium Epheborum

borum



borum accita concentibus , diuini Lateris in dictâ Chriſti Domini in Cruce ſuſpenſi effigie vulnus exoſculans expirauit pridie nonas Martias anni à Deiparâ Virgine milleſimi ducentaſimi quinquageſimi octaui , annos ſeptemdecim , & decem circiter menſes nata abſq. vllo cum morte luctamine , quę in Chriſti Fidei teſtimonium ſanguinis, & vitę per horrendos cruciatus effundendę cupiditate exarſerat . Miro ſplendorę rutila eius pręſtita facies eſt , ſuauiq. odore cadauer fragrans. Quia verò,iam morte aduentante , conuenerat ad ipſius domum innumerabilis populus , ne eius reliquię multitudinis pietati inconſultę paterent, celata eſt , quamdiù fieri potuit , de eius exitu Ciuitas ; & quam maximè occultè licuit, in Sanctę Marię in podio exportarunt Corpus, vbi propè Aquę luſtralis concham, ad ingredientium leuam effoſſâ humo,&ſupra iniectâ , Capite recentibus roſis, quę repertę tunc ſunt , & alijs floribus redimito , tumulatum eſt . Inuentum quoq. eſt in libello memoriali cuiuſdam eorum temporum Parochi, in ſanctę Virginis ex-

*Mirabilia in Cadavere.*

*O. Pręfat: ad Lector:*

ceſſu

*Paracia campanæ vltrò ſonant.* ceſſu ęra campana, quę gemina erant eius Templi ſanctę Marię in podio, ſonum reddidiſſe, nemine impellente, vltra vnum diem. Ubi eius mors Ciuitati innotuit, immedicabilibus defleta eſt lachrymis tanta iactura. Quodq. maiorem Ciuibus mærorem attulit, fuit, aſpectu, atq. pijs defunctę deoſculationibus caruiſſe.

## CAPUT. XXII.

*ROSAE corporis dotes, & animi Virtutes.*

FUit ROSA ſtaturà, quam vocares humilem; facie reliquis partibus conſentaneà, inter longam, & orbicam medià, plenà tamen; ſpectabilibus lineamentis; colore candido, ac rubicundo, ſed à voluntarijs tormentis palleſcente, cęteroqui venerabili; oculis viuidis, quorum colorem modeſtià, illos per iugem palpebrarum demiſſionem occulēs fortaſſe internoſcere non permiſit (ferunt fuiſſe Cęruleum); naſo è reſimo in leuiter aduncum; totius corporis geſtu graui, & ſubmiſſo. Sancta corpore, & ſpiritu



ritu virginitatem perpetuò ita coluit, vt ad pudicitię ſtudium ſe aſpicientes alliceret: &, quemadmodum ſpinæ roſam præcingunt; haud ſecus eius Uirginitatis Lilium ſepſere deliciarum omnium odium, & horror; amor, amplexuſque pœnarum: oculos in virili facie nunquā eſt viſa defigere: ſubmiſſione animi tam ſublimi fuit, vt creatarum rerum abiectiſſimam ſe putaret; ſingulari ſibi glorię duceret ſperni ab omnibus; & malè vel ab inferioribus haberi. Sui contemptum in ipſà comitata eſt par in alios humanitas: Facillimi erant ad eam aditus vniuerſorum, quos cęleſti quadam benignitate excipiebat, mirè affabilis, pręſertim in miſeros, quos pijs conſolandi rationibus miſerans demulcebat: nunquam mentita eſt, ne ioco quidem: adibant autem eam omnes, vt animi fructum aliquem caperent. Nunquam irata eſt vlli toto vitę ſuę curriculo: ęrumnas, labores, penas innumeras iniurias, perſecutioneſq. non ferendas intrepidè pertulit. In operibus miſericordię omnibus exercuit ſeſe ſtrenuè, charitati, ac ſtudio alieni boni admirandā

prudentiam, atq. ęquitatem admiſcens tantam, vt non minus adiumenti alij ab ipſà, quàm ipſa ab alijs venerationis ferret. Porrò ex ROSÆ in Deum amoris exuperantià rubor ille igneus, qui eius Uultum inter orandum inflammabat, emanauit; & vigor ille tam fortis in eius Fidem, vt, illius propugnandę cauſà, toties digladiata ſit cum Hereticis, iniuriarum, quę ſibi ob idipſum inferebantur, ſecura; pro illà martyrio affici quàm ſępiſſimè exoptauerit; pro illà peſſundata, & crudeli exilio ſit multata, Deo tamen, in quo ſpem omnem firmiter habebat ſitam, ſemper eam tutante, ac mirificè eripiente. Scientià predita fuit infuſà diuinitùs: cum enim Litteras non didiciſſet; imò nec libri vllius paginam euoluiſſet, nihilominus tamẽ fuit in dicendo diſertiſſima; in ediſſerẽdis Litterarum ſacrarum difficillimis rebus acutiſſima; in diſputationibus cum Hereticis perſpicax, & euincens. Dono prophetici inſtinctus non minùs, ac Miraculis à primà ętate clara, longinqua proſpexit; abdita, & arcana intellexit, & aperuit; multa, ante quàm fierent,





euentura prędixit, illius non ancilla, ſed ſponſa innoteſcens, qui de ſuperno Parente audita non celat neceſſarios.

LIBRI PRIMI FINIS.



# S. ROSÆ

## Uiterbienſis Uirginis Uitæ.

## LIBER SECUNDUS.

*Eius è Cęlo in Mortalium vtilitatem deſcenſiones; Miracula, quibus poſt obitum eluxit; ac de eiuſdem Sanctitatis opinione teſtimonia continens.*

## CAPUT I.

*Videndam ſe prębens Alexandro Quarto Pontifici, Eum de ſui corporis ad Sanctę Marię roſarum tranſlatione commonuit.*

*Proceſ. c. 12 pag. 65.*

IAcuerat ROSÆ Corpus, vbi humatum fuit, menſes octodecim iuxta cauſam de eà in Sanctos referendà Caliſti Tertij Sũmi Pontificis mandato cognitam: ſi quis enim, menſes triginta iacuiſſe ROSAM ibi, ſcripſerit, ſi annum, quo ipſa ſublata morte eſt cum anno, quo eſt è tumulo tranſlata, conferas, deceptus, neſcio quo pacto, oſtenditur

ditur



ditur: anno enim milleſimo ducenteſimo quinquageſimo octauo animam edidit pridie nonas Martias; milleſimo autem ducenteſimo quinquageſimo nono anno tranſportata eſt pridie nonas ſeptembris. Nullum per hoſce menſes miraculum per Sanctam Uirginem Deus patrauerat, donec ſub milleſimi ducenteſimi quinquageſimi noni Auguſti exitum quodam die, circiter Auroram Alexandro Quarto Uiterbij per id tẽpus reſidenti conſpiciendam ſe obtulit Sole ſplendidiorem, quem allocuta in hunc modum eſt: „Ego illa ſum Uiterbienſis „ROSA, quę, vt Schiſma, & vitiorum „ſentes meis prędicationibus extirparem, valdè laboraui; & Uiterbium „patriam, atq. alia Patrimonij loca, „quę labefactauerat heretica prauitas, „ad catholicę Eccleſię obedientiam reuocaui. In cuius laboris mercedem „Diuina Maieſtas Uirginibus, quas ad „ęternas aduocauit nuptias Amator cę„leſtis, me infinità clementià ſuà annumerauit: &, quia abiecto in loco, ac ſine pompà Corpus meum terrà eſt conditum; propterea mandat tibi Deus

*Mors ſexto Martij:*

*Tranſlatio quarto Septemb.*

*Alexandro Quarto apparet.*



(neq.

,, (neq. aliſs ipſa manibus me tangi per-
,, mitto ) vt illud in Sanctę Marię in po
,, dio refodias ; tranferaſque ad Sanctæ
,, Marię Roſarum, vbi quieſcendum ei eſt,
,, quoad Mundi poſtremo die huic Ani-
,, mę ad Regni cęleſtis gloriã vna per-
,, fruendum, iterum coniungatur . Scili-
,, cet obtemperandum Dei mandatis eſt:
,, itaq. ne imperata actutum facere ne-
,, gligas . Hactenus ROSA . Somnium
habitum eſt à Pontifice id viſum : qua-
propter nihil illud moratus eſt : verùm
delapſà ad eum è Cęlo iterùm ROSA'
poſt triduum; & auſteriori ore mandata
repetente ; viſis habere fidem cępit ; &
ſuper ijs aliquot purpuratorum Patrum
in conſilium adhibuit, qui ei ſuaſere, ne
iuſſa prius exequeretur , quàm indicijs
clarioribus proderet ſe Dei voluntas ;
quę quidem indicia ab ipſo Deo indi-
ctis populo precationibus, eſſent poſtu-
landa. Alexandro id conſilium placuit;
edixitq. , vt ab omnibus tanti momenti
res diuino Numini ſedulò commenda-
retur , cunctis ipſe prelucens exemplo .
Quare tertio nonas Septembris ipſi Ale-
xandro nocte , nec dormienti penitùs ,
nec

*Rurſus ab Alexandro videtur .*

*Conſulũtur Cardinales .*

*Tertio aſpiciturà*



nec omninò vigilanti conſpecta tertio
eſt Sancta Virgo eius in diuino Manda
to perficiendo tarditatem increpans ;
eiq. ſignificans eo in loco ſuum cubare
Corpus , vbi florem ROSÆ recentem
erupiſſe humo reperiret . Adeò Flores à
Virginitate , quę ijs ſemper compara-
tur , videntur quodam modo affici .

*Pontifice.*

*Viridis Roſa indicium datur .*

## CAPUT II.

*ROSÆ Corporis ad Sancta Maria roſarum tranſlatio : quo tempore eius de ſuæ domus in vnum cum Sancta Maria roſarum monaſterio coniunctione impleta ſit prædictio .*

Huiuſmodi Veri argumentis per-
motus Pontifex Alexander, quar-
to Septembris die vix illuceſcente , co-
git , vt tranſlationi interſint , Cardina-
les , & Viterbienſem Clerum; atq. ad
Sanctę Marię in podio pariter proceſſe-
re , comitante illos Viterbienſi populo
penè vniuerſo . Templum ingredienti-
bus ecce tibi è ſolo pullulans roſa florē
oſtendit, mirum, quantum ; pulchrum ;
ſtatim

*Corporis inuentio.*

ſtatim ligonem arripit ipſe Alexander; ac terram dimouens integrum inuenit, formoſum, coloratum, flexibile Beatę Cadauer, quod naturà putreſcere, à Templi, luce, auràq. neceſſarià, carentis madore debuerat: ex eo loco Pontificis iuſſu eſt ſublatum in feretrum, cuius, propter pretioſos ornatus, erat ſpecies triumphalis currus: Subiere humeris loculo eiuſdem Pontificis nutu ex pręcipuis Cardinalibus quatuor; & ſacras illas ROSÆ Reliquias ad SanctęMarię roſarum contulerunt, Viterbio toto proſequente. Mannà locus, vnde illas extulerunt, ſcatebat odorifero, quod ęgris corporibus adhibentes, qui varijs morborum generibus afflictabantur, omninò conualeſcebant. Quà re eſt effectum, vt Alexander extemplò, ſine vlla actorum agnitione ROSAM in Sanctorum ordine repoſuerit; ſacriſq. Virginibus eius monaſterij receperit, eidem ſe ſanctorum honorem, cultumq. poſtea ritè decreturum, quod pręſtare citò eſt morte prohibitus. Gratum adeò ſacratis illis ſodalibus fuit hoc Celeſte depoſitum, vt Diui Benedicti inſtitu-

*Liquor odoratus, & ſanans è ſublati cadaueris loco emanat.*

tum,



tum, quod ſub titulo Ordinis Sancti Damiani tenebant, dimittentes, Diui Franciſci leges, quibus ſe ROSA ſubiecerat, & Sanctę Clarę amplexatę ſint Ordinem, atq. Aſceterium, Templumq. veteri Sanctę Marię roſarum cognomento mutato, Sanctę ROSÆ appellarint. Quę ſanè res ROSÆ vaticinium celebrat, quo non admiſſa ab ipſis viuens, ſe ijdem gratam, acceptamq. eſſe futuram poſt obitum, prędixit: nec immeritò quidem: hic enim ſummà ab omnibus veneratione colitur Sancta; & ſupra Naturam plurima operatur, ac maxima, egregiè in vulgus grata.

Forſitan ex me, Lector, quæras (quãdo eſſe js locus videtur, eo quòd coniunctè, & ſui corporis tranſlationem, & futuram ſuæ domus cum eo Cænobio connexionem præuiderit) quonam tempore cum Sanctę Mariæ roſarum Monaſterio conſociata fuerit ROSÆ domus. Factum ideſt anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo primo, circiter nonum, aut octauum calendas Maias, vt ſupra innuimus, nec ſine miraculis quidem: ex eo enim die, nimirùm duodecimo calen-

*Quando coniuncta S. Roſæ domus monaſterio ſuo.*

das

das Maias, quo coempta ad continuandum clauſtri parietem fuit, ad biduum, triduumue, quo domum iungere parietibus cogitabant, quàm plurimis tum Viterbienſium, tum externorum illuc pio domus videndæ ſtudio concurrentibus, per olfatus omnium permanare cœpit ſuauiſſimus roſarum odor, quo impulſa multitudo auferebat, vt ſacratas res memoriæ, & cuſtas cauſà retinendas, rudera ipſa, & lateres, quibus odori eiusdem ſuauitas afflabatur. Intra id etiam tempus, cum adoleſcentuli neſcio qui parùm verecundè nugari in horreo, quod ſuper lacunaria erat, incepiſſent; fragor ingens auditus eſt ſuper tectum, quo conſternati omnes in fugam ſunt.

*Roſarū odor ſupra Naturam.*

*Turbæ pietas.*

*Terrētur parum modeſti.*

Diſcere præterea cupias, Lector, quisnam ſit huiuſce domus nunc ſtatus. Undecim annis poſtquàm incluſa Cenobio eſt, videlicet anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, cum arcū quemdam domus ei adhærentis demoliuntur, Diuæ ROSÆ domus parte, quà ad ipſius Templi viam vergit, proruentę, eiuſdem etiam cellę pars concidit; reliqua manent integra, vt capite quarto ſuperioris libri fuere deſcripta; aucta veneratione tamen: dicatę enim Deo in hoc Cenobio Uirgines ſuper Diuę cellam ſacellum erigendum curauere, in quo Chriſti Domini effigiem; vt à Prgſide oſtenſus quondam fuit Hieroſolymę populo, ſentibus coronatus, & chlamide contectus purpureà, celebris artificis penicillo elaboratam expoſuere ſuper aram: ad quod ſacellum ineundum ędificatę ſunt ſcalę ligneę tot gradibus, quot conſtant Romę ſcalę, quas, eo quod per earum gradus Judex Orbis Terrarum: ſupremus, cum iudicandus eſſet, aſcendit, Sanctas appellant; & harum ſunt ſimiles. Flexis genibus gradus Aſceteriį ſcandunt, in graduum ſingulis precando immorantes: omnibus deinde in hunc modum excurſis, per cancellos nuceos ingrediuntur ſacellum inde per oſtiolum, graduum geminorū deſcenſu ingreſſio eſt in conclaue, quod fuiſſe horreum diximus, ſuper latius ex duobus SanctęROSÆ domus cubiculis, quę aula nuncupatur: illo in conclaui religioſæ ſorores, vt Sanctæ Patronæ ſint aliquo modo conſimiles, pro facultate

*Sanctæ Roſę domus habitudo.*

*Reuerentia.*

*effigies à Ioſephino picta.*

tate ab animi Moderatoribus acceptâ priuatis verberationibus ita ſeuerè indulgent, vt ſanguine & pauimentum, & parietes conſpiciantur aſperſi : illo è conclaui ligneas per ſcalas in aulam Sãctę ROSÆ domus deſcenditur, vnde in cubiculum minùs latum, quod cellę Sanctę Virginis iunctum docuimus, tranſeunt (& illuc poſt ſanctorum graduum cōcenſionem ſemper ad orandum proceditur) ibiq. in precibus, pro eo, vt cuiq. collibet, perſtant ante aram, vbi Sanctę ROSÆ iacentis, qualis in Templi ędiculâ cernitur, imago colitur, ante qua lychnus argenteum ſuper vaſculum penſile indeſinenter lucet; nec aliud quidpiam, pręter ſcabellum ad genua ponenda formatum in eo habetur. Atq. hic Sanctę ROSÆ domus his temporibus habitus, & veneratio eſt.

CA-



*Incenditur Sanctæ Sacellum ſimul cum eius Corporis ſolio, ipſo Corpore intacto; aliud eiuſdem ſacelli incendium à ROSA' præpeditum.*

AB eius ſacri Cadaueris tranſlatione addo ſubinde ſacelli, & conditorij, in quo ingenti cum honore ſeruabatur, incendium, quod nonaginta annis poſt excitatum eſt; alteriq. incendio aditum à ROSA' obſtructum diuinitùs, vt earum rerum, quę propiùs ipſam contingunt magis connexa ſuccedat narratio. Anno igitur milleſimo tercenteſimo quinquageſimo ſeptimo, cum Innocentius ſextus pręeſſet Eccleſię, ſeu à ſcintillâ, quę alicunde emicuerit; ſiue à candela propè relictâ ardente, ſacri Corporis conditorium, quod ex arido iam erat ligno, deflagrauit; inde graſſans flamma ſacelli pretioſa ornamenta abſumpſit; argentea, aureq. monilia, & vaſa conflauit: & viſa eſt ipſum Templum, & Cęnobium totum hauſtura incendij amplitudo: incendij ſignum ſuâ ſponte monaſterij campanę de- *Aſceterij cam-*

dere

*panæ ſi-*
*ne pul-*
*ſante da-*
*nt ſonū.*

dere, per ſe ſonum emittentes: accurre-
re Aſcetriæ cunctaq. Ciuitas; conſpe-
ctoq. ignis furibundo impetu, mœrore
confecta eſt, quod ſacrorum Lipſano-
rum iacturam metuebat; neq. vlli ad vi
flammarum opprimendam erat acceden
di locus, donec alimento deficiente, ip-
ſemet ignis reſedit, & reſtinctus tandem
eſt. Acceſſere, argentumq; atq. aurum
vna cum gemmis, ac torquibus, mure-
nuliſq; quin ipſos etiam Digitorum RO
SÆ liquefactos annulos inuenerunt; re-
ſoluta in cineres indumenta ipſa, Cada-
uer tamen Sacrum indelibatum, excepto,
quod ad miraculi memoriam immorta-
lem Sacrum Corpus cute antea niueâ, fu
mo relictum eſt infuſcatum: metallâ, li-
quatæq. gemmę ſub Sanctę renes dilapſę
confluxerant in laminam. Quod autem
eſt lachrymis dignius, libellum quoque
deuorauit ignis, in quo prçclariora San-
ctæ Virginis habebantur geſta, atq. mi-
racula, qui apud ſacras eiuſdem Reli-
quias aſſeruabatur.

*Roſę cor*
*pus incõ-*
*ſenſum,*
*ſed in*
*prodigij*
*teſtimo-*
*nium de-*
*nigratū.*

Iam verò, quando ad rem facit, Sacel
li, & loculi Sanctę Virginis ab ea pro-
digialiter extincto incendio aliud atte-
xamus



xamus ab eadem ſeptuaginta duobus,
poſt illud, annis mire prohibitum. In-
uiſere aduenę quidam Religionis ergo
ſacrum ROSÆ Corpus anno milleſimo
quadringenteſimo viceſimo nono: lo-
culum reſerarunt Margarita monaſterij
Antiſtita, eademq. ſacri depoſiti cuſtos;
& alia ex monaſterij Clara nomine; bi-
naſq. cereas faces, alteram propè San-
ctę Virginis faciem, alteram ad pedes,
vt moris erat, accenderunt: vbi ſatis eſt
factum ab aduenis pietati ſuę, facem
Antiſtita ſibi propinquam extinxit, id-
em à ſociâ factum iri opinata de accen
ſâ ab ipſâ face: verùm hęc opinionem
eius fefellit: aliud enim mouens animo,
tędâ flagrante, loculum occluſit. Horę
vnius exacto ſpatio Claram Antiſtita
rogat, extinxerit ne candelam quę ad
ſe pertinebat: reſpondente illâ ſibi in
mentem non venire; illòrſum ambę vi-
dendi gratiâ ſe proripuere: tęda arde-
bat quidem; ſed nihil omninò damni
creauerat, quamuis flamma iam propè
ad ſacri Corporis tunicam acceſſiſſet, vt
niſi miraculo Deus præpediſſet, incen-
di omnia debuiſſent. Adde, quod, pri-
uſquam

*Loculi*
*arcet in*
*cendiū.*

uſquàm de candelà tantum depaſta eſſet flamma, loculi operculum ex tot annorum exiccato ligno, atq. ad ſuccendendum aptiſſimo propemodùm lambens, non niſi perexiguum in eo ſignum reliquit. Pro quà re egere Deo, & Sanctæ Uirgini gratias maximas, hinc magis ad eius obſeruantiam inflamatę.

## CAPUT IV.

*Corpus tuetur ſuum à furibus; ac turris campanariæ ſui Templi ruinam inhibet.*

*apparet quinque virginibus.*

ANni à Deiparà Uirgine milleſimi quadringenteſimi quinquageſimi primi nocte quadam, cum Sacratæ Uirgines iam ſomno vterentur, Margaritæ Petrucciæ tunc Antiſtitæ aliiſq. quatuor ſodalibus Angelæ Petrucciæ, Catharinæ, Seraphinæ, Druſianæ ſeorſum copiam ſui è Cœlo ROSA faciens: Cuſtodite, me (dixit) vermes enim duo humerum mihi dexterum corrodunt. Solutæ ſõno ſunt ipſæ quatuor; & in ſociam vnaquæq. incidit per conclaue dormitoriũ, quin alia alius viſionis eſſet conſcia; atqui



qui etiam mirarentur, cum factùm ſibi inuicem denarrarunt, quod eadem ſingulę eodem tempore per quietem vidiſſent: idcircò properauere coniunctim dexterum ſacri corporis humerum detectum; nec vermes ibi, nec ſignum aliud peruiderunt: obſtupeſcentes, aliquod in verbis ROSÆ myſterium coniecere: Itaque Monaſtrias conuocant reliquas, & genua ſimulflectẽtes orationi ad mane uſq inſiſtunt, vt ipſis aperire Sancta viſionis dignetur arcanum. In ſequenti nocte vnius è quatuor ſupra recenſitis Uirginibus Druſianæ nomine in conſpectu ROSA iterùm fuit; eiq., Druſiana, inquit, ſi cras maturè mihi te ſupplicem exhibueris, eius, quod antecedenti nocte, tibi conmonſtraui, occulta reuelabo. Druſiana quàm maximè alacriter ſumo mane ad orandum ſe contulit ante Sanctæ corpus, vt promiſſi fidem ea ſibi prę ſtaret. Non multo poſt Templi valuas recluſerunt: eòq. ingreſſi duo quidam ſunt, qui Aſcetriam nomine Magdalenã cognatione contingentes alloqui illam vellent: hi ad Sanctę ſacellum propiùs accedentes limà per fractos ferreos depre

prehenderunt clathros à dextero Sanctę humero, & prope è pariete prorſus exceſſos: indicauere id oranti Druſianæ, ac Magdalenæ ipſorum propinquæ, à quibus nunciatum Antiſtitæ eſt. Sanctæ verò dictorum arcanũ intellectum eſt hoc pacto, quod eà nocte, quà ab illis eadem conſpecta supernè fuit, homunciones duo ſacrilegi exciderant limis duabus (quas vermes appellauit ſancta) cancellos ferreos à Sanctæ dexterà, vt ſacrum furarentur corpus: verùm Antiſtitæ, & quatuor illarum ſodalium ſacratarum aduentu à facinore deterriti pedem retulere & à Templo ſeſe fugà abſtulere.

*Verborũ Roſæ myſterium ediſſeritur.*

Hac vice è Cęlo delapſa Uirginum ſacrarũ conſolationi tantummodò conſuluit; alià autem etiam multarum vitę: iam quo tempore (ignoratur annus diſtinctus) quędam Uiterbienſis virgo pro gnata ſumo gẽere, nomine Maria (cognomen corũ temporũ obliterauit incuria) monaſterio prçerat, turris, è quà Templi campanę pendebant, ingentis molis, fundamentorum infirmitate eam egit rimam quà parte Cenobio imminebat, vt alter lapis alteri non hęreret: quà de





re nullum erat, & turris, & alterius parietis Aſceterio conuincti ruinę remedium, non ſine complurium è ſacratis Uirginibus eà parte dormientibus oppreſſione, ac nece, vel ad leuem ęrium campanorum motum, cum Pſalmodiæ matutinę ſignum eſſet edendum: ſed Aſcetrię cuidam Clarę nomine ſpectabilis adſtans ROSA, feſtinà voce: Clara, inquit, fac citò ſurgas: quid ſtas? viden, vt campanarum turris cum pariete ruit? Clarę videbatur ſancta ruinam ſuſtinere manibus: quà propter cum è ſtrato ſurrexiſſet, eò procedens, parùm abeſſe inuenit, quin turris, parieſq. corruerent: monaſterij Præſidem, aliquotq. ex monaſtrijs expergefecit; oſtenſoq. diſcrimine, vt periti ad ſubueniendum homines aduocarentur, egit: atq. ita depulſum eſt periculum, ROSA, vel occultè, duce.

*De ruinà impendente monet.*

# CAPUT V.

*Monaſterio ſuo maximè opis indigenti ſubuenit; illud, alioſq. complures à peſtilentiâ vindicat.*

CAlamitates inumeras anno milleſimo quadringenteſimo decimo Uiterbium acceperat à bello, ac peſtilentiâ: quam ob rem ad viuendum neceſſaria dicatas Deo virgines defecerant; & in dies magis augeſcebat inopia: ad hęc decimo quinto calendas Nouembris excitatum repente eſt incendium, vbi nocturnum eędem ſomnum capiebant, quo ſanè tempore quieſcebant vniuerſæ; & ita inualuit, vt obſiſtente nullo, dormitorium cum maximâ Monaſterij parte combuſſerit, cuncta vtenſilia, & indumenta exhauriens: vix incolumi vita euaſere Monaſtriæ abdentes ſe in quamdam Clauſi partem, cui ignis pepercerat, nihil reliqui, niſi ſolam in ſanctæ tutelâ ſpem habentes, ad quam experiendam, atq. exercendam conſueuit quandoque Deus talia cultoribus ſuis im-



immittere. Muſſatum eſt, an è Monaſterio diſcedendum eſſet: quia ſtipes collatitia ad ſarcienda detrimenta minimè ſuppeditabat: ipſam enim met Ciuitatem annonę caritas habebat ſollicitam: ſed, cum ad deliberandum conueniſſent, vnus omnium ſenſus fuit, magis penuriâ conſici, quàm Clauſtrum deſerere. Nec verò ſpes, quam ſibi in Sanctâ poſuerant, in irritum cecidit: nam tranſeuntes Uiterbio non exigui momenti viatores, & Sanctę Lipſana inuiſentes copioſa illis, & opima ſufficiebant ad acceptum damnum reparandum ſubſidia, quę aucta etiam ſunt, eo quod renunciato ſummo Pontifice in Conſtantienſi concilio Cardinali Columnâ (qui Martinus Quintus eſt appellatus) anno milleſimo quadringenteſimo decimo ſeptimo, nobilium virorũ complurium tranſitus Uiterbio fuit, qui ad Sanctę Corpus venerationis cauſâ aduentantes nõ modicam pecunię vim eleemoſinę nomine largiebantur. Sed, quę extremâ ſuas Alumnas eripuit è penuriâ, num ijs in peſtilentię periculo defuit? Anno milleſimo quadringẽteſimo quadrageſimo octa-

octauo peſtis acerrima lues, multis Italie locis occupatis, Viterbio quoq. dirum in modum ingruit; & ad annum milleſimum quadringenteſimum quinquageſimum primum vſq. inheſit, nec Sanctę ROSÆ monaſterio abſtinens: nã ipſius ibi reſidem Margaritam Petrucciam, & quinque alias virgines exulcerauit, ſed illis ad tutelarem Sanctam ſe ſupplices conferentibus, peſtilens morbus euaſit; nec Cęnobio nocuit amplius: immò Ciues etiam innumerabiles, qui Sanctę pręſidium popoſcerunt, ex peſte conualuere. Quoniam verò alijs quoq. temporibus ab innumeris Contagio Sanctę ope diſceſſit, duorum huc exempla pręcipuè reuoco, ne extra propoſiti ordinis limites narratio euagetur. Petro Dominico Nicolai, & Sueuię ex ampliſſimâ Buſſiorum familiâ filio pręciſa vitę ſpes erat, cum ob internecinam febrem, quâ ardebat; tum ob mortis notam, quâ peſtilentiâ laborare prodebatur: vnus ſupererat ex eorum liberis immatura morte ſublatis genitorum ſolatium, domuſq. ſpes: quapropter concitebatur fletu Sueuia parens, mouitq. Catharinam



nam Iacobi Gemini, pueri altricem, vt illum Diuæ ROSÆ auxilio commendaret, eiuſq. ad Monaſterium procurreret aquam petitum, quâ Diuę lotę fuiſſent manus: ad alumnum reuerſa illius os clauſum adeò offendit, vt ad ſtillam in illud infundẽdam adhiberi vim oportuerit: adhibita vis eſt; hauſtâq. à puero ſtillâ, repente tum febris flamma reſtincta; tum peſtis lues diluta prorſus in ipſo eſt.

*Gutta ablutionis Sanctæ manuum ſalutem reddit*

Anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto ſexto calendas Ianuarias animam iam peſtis vi amittebat adoleſcens tredecim annos natus Vincentius Nicolaus Petri Hiſpani filius: Perna mater dolore propè enecta illum ſuſcepit in ſinum, vt ſpiritum ibi ederet: verùm, hęc inter, campanæ Sanctę ROSÆ Aſceterij ęra pulſantur: tunc ſe Perna ad ſupplicandum Sanctę conuertit, vt ſignificationem daret aliquam, vnde viueret ſuus natus, nec ne, deprehenderet: è veſtigio oculos ille paſtefecit: illumq. cohortata mater eſt, vt vitam à Sancta ROSA deprecaretur: cumq. ipſamet precem nato dictaſſet,

*Mulieri ſignum poſtulatum concedit.*

 ſomn-

ſomnus huic oculis obrepſit; & placidè horam dormijt, quà elapſà, integrà cum valetudine exſurrexit; atq. ad Diuę ROSÆ per ſe proficiſcens, cereum ſigillum ſacello eius, in facti teſtificationem, affixit.

## CAPUT VI.

*Acerbiſſimis à doloribus, Elephantiaſi, & Comitiali morbo vindicat homines.*

ANnum circiter milleſimum quadringenteſimum quinquageſimum tertium tam acuti dolores Germanam quamdam mulierem conflictabant Agnetem Henrici nomine, vt vitam illi in horas exhauſturi viderentur: ſe ad Sanctę ſacellum, vt licuit, pertraxit Agnes, ac ſe venerabilis ad Cadaueris Pedes proſternens, ne committeret, vt in tantis eſſet cruciatibus, ab eà efflagitauit. Ad fuit Sancta precibus: namq. illicò Agnetem ſolutam ſiuere in perpetuum dolores.

Anno milleſimo quadringenteſimo quinto, cum eſſet Uiterbij ſummus Pontifex Innocentius ſeptimus; in pluribus vltra Naturę vires à Sanctà perpetratis, hoc ſingulare fuit, quod vnus quidam natione Saxon, cuius làbia, gingiuęque ab elephantià emarcuerant, vix opem ab eà ſuppliciter petijt, cum ſtatim fœdus morbus euanuit.



Iuliam Urbiuetanam, quę morabatur cum Petro parente ſuo Uiterbij, comitiale vitium, cui erat obnoxia, quodam die corripuit; quo in terram decidens, ac ſpumas in ora agens relicta eſt animo: ad ei opitulandum femina properauit Simonula nomine; ac ſanctam pro epilepticà implorauit vouens, cum ea ſe ſacrum ipſius Corpus, ob agendas gratias, genibus incedendo eſſe adituram: Uoto concepto, ſpiritum recepit Iulia, epilepſi perpetuò expedita.

*Pro epileptica orans mulier eu auditur.*

## CAPUT VII.

*Quamdam Aſceterij ſui Virginem ob vnguem à Sanctę Digito aucculſum ab ſpę deſciſcentem confirmat.*

HAud multo poſt ſacrarum Sanctę ROSÆ Reliquiarum traſlationē: quia ob famam, quę de ipſius, & ſanctitate,

tate, & miraculis per Orbem terrarum percrebuerat, augebatur quotidiè magis, ac magis eius ad sacellum omnis hominum generis conuentus; ad eas colendas non paruo cum ſenſu pietatis accesſit quidam Teuton generis dignitate inſignis: hic alicuius ex eis particulę obtinendę cupidus, à virgine illarum cuſtodię prępoſita vnguem vnius è Sanctę Digitis depopoſcit: recuſauit illa veritæ, ne ſacrilegio ſe obſtringeret; ac per ora hominum traduceretur, vbi facinus innoteſceret. Ille contrà habendi vnguis captus cupidine inſtare, à tantulę rei detractione nihil deformitatis emanaturum in Sanctę Cadauer; nec deprehenſum iri furtum, ſi furtum quis dixerit Sanctę Reliquias per Urbes mittere ad eiuſdem prouehendum cultum: obſiſtere nihilominus illa: crumenam is tandem aureis plenam deprompſit, rogans, vt eam compenſationis locò ſibi haberet: auri ſplendore mentis ei acies eſt preſtricta: quare nullius rei habità ratione, vnguem à quarto ex Dexterę Sanctæ Digitis forficulà violenter diuulſum Teutoni tradidit: acceptum ille pretioſa in



ſa in Lipſanotheca repoſuit; illatumq. in patriam in opulentiſſimo collocauit ſacello, quod in Sanctæ ROSÆ honorem ædificari iuſſit. Alcetria verò timore perculſa, & conſcientiæ ſtimulis agitata ad inſpiciendum digitum cucurrit: & (mirum!) illum cruentatum comperit, deformatum, tumidum, ac ſi viuum eſſet Corpus; humoreſq. illuc ſubiniſſet, vbi fuerat læſum: tunc perturbata vim lachrymarum ingentem profudit; rediitq. ad digitum iterum, tertiò, ac ſæpius: videbaturq. illi ſemper is eſſe deformior: quam ob rem horrore exterrita ſurſum, deorſum per Cænobium curſitabat nil cibi ſumens, nil potionis: ita vt miſerationem animis afferret ſodalium, cauſam ignorantium, quam ipſa prodere deterrebatur pudore. Sed ad poſtremum aſpiranti Deo obſecundans ad Sanctæ ROSÆ Pedes & ſe, & marſupium deiecit; vtq. ſibi à Deo, & Sancta ſacrilegæ venditionis condonaretur crimen, quàm potuit ſubiectiſſimè, obſecrauit; nec verò irrita obſecratio cecidit: quippe confeſtim Unguis nouus ab ea in digito viſus eſt priore formoſior; Unguis

Ala-

*ei mirū in modū renaſcitur.* Alabaſtrite candidior, lucidiorq; cum eſſent reliqui coloris fuſci: diu mirabunda hæſit, incerta, vigilantine id cerneretur ſibi, an viſum ſomniantis eſſet: ſed rei veritate perſpectâ ſummas Deo, Sanctæq. gratias diſerto ore perſoluit; mox Cænobium totum de euenti nouitate erudiens, Dei benignitatem, ROSÆQVE merita apud Aſcetrias grato eſt animo proſecuta: aduolantes Monaſterij moderatrix, & monaſtriæ ad ſacrum Cadauer, audita de ſodali veriſſima comperêrunt, album commemorati Digiti aſpicientes Vnguem, ceterorum, vt exanguium, nigros. qualis ille etiam erat anteà. Res ultra Naturę vires effecta Epiſcopi auctoritate fuit agnita, mandatumq: vt venerandi Corporis loculi geminę haberentur claues, altera à Virginum Preſide, altera ab aliquà è duodecim Virginibus vetuſtioribus.

CA-



*Tranſmontanum Præſulem, ex deſperatione, moriendi certum ad ſpem excitat, & duos grauiter diſſidentes in deſperandam concordiam redigit.*

ELectus ſuis Ciuibus Archiepiſcopus Patrię Pręſul quidam Tranſalpinus, vt rata ab Apoſtolicà ſede haberetur ſua electio; & initiaretur ipſe, Romam venit: at ęmulorum à multitudine in ſuſpicionem hęreſeos, pluriumq. aliorum criminum apud Pontificem deuocatus, tanto munere ducebatur indignus: vt obiecta refelleret, Romę non paucos ei morandum fuit annos: quapropter omnem rem, pecuniamq. confecit; & ita in anguſtum adductus eſt, vt ab eo ſe amici remouerint, famuli, coniunctiq. ipſi, atqui etiam omnibus eum expellentibus, cum angore, ac dedecore oſtiatim victum quęritabat; hominum vitabat aſpectum. Quid multa? nec ſpe animum, nec alimento amplius voluit ſuſtinere corpus: cumq. Romà diſcendens Viterbium ſe vtcumq. traxiſſet, ibi ad cauponam neſcio quam diuertens

ſens in cubiculo ſe incluſit; in ſtrato recubuit lachrymis, ac triſtitię opprimendum ſe tradens; verùm è laſſitudine dormienti viſa eſt in quiete Sanctá ROSA „ eum alloquens hunc in modum; Ami„ ce, noſce te ipſum; ſtatum, curaſq. „ tuas Sāctę ROSÆ Ciuitatis huius com„ menda; votum aliquod in eius hono„ rem ſuſcipe; & opitulabitur, eà de„ precante, tibi Deus; quodq. optas, „ tibi continget. Somno excitus Deum, & ſanctam, vt ſibi ferant opem, & ſalutem, rogat: manè, vbi ſit Sanctę ROSÆ Templum ſciſcitatur; eò properat; ſeſeq. obſtringit voto, ſi id, cuius deſiderio angebatur, obtineret, auream roſam ſingulis annis dono mittendi, dum viueret: deinde ſpei plenus ad hoſpitiū remeat: ecce ante eius diei veſperam adeſt nuncius, qui ſe Romam reuocabat: ibi Pontifex aures ei conceſſit; crimina, quę in eum intendebantur, confutata: inſuper ipſi non modò confirmata Dignitas fuit; verùm etiam, quę opus erat ad peragendam viam, ſuppeditata pecunia. In reditu Viterbio tranſiens, tam benè de ſe meritę Corpus veneratus eſt

*Vrſulē diſſidentem rebus ſuis vltrò inuiſit.*



eſt Sanctę, & annis quibuſq. cum aureà roſà, quam vouendo ſpoponderat, argenteam etiam ad ipſam miſit.

Non minus deſperandę inter duos paci, quam illius vitę ROSA ſubuenit. Mariotto Roccanſuſio ſeſe implacabilem adeò, inexpiabilemq. inimicitijs prębebat Raphael Sanctorius Viterbienſis, vt illum parens Nicolaa expectaret in ſingulas horas conciſum in fruſta exportandum domum. Tantum valebat viribus aduerſarius: tantumq. ipſi ab eò fiebat inſidiarum vbiq.! Quà propter alterius cuiuſuis, rei componendę, modi ſpem deſtituens patronam aſciuit Sanctam huic tam periculoſę ſibi odij flammę extinguendę merentis fęminę oculis obiecta eſt nocte inſequenti ROSA, „ & , Nicolaa, inquit, cras tuus natus „ periculo exſoluetur, tu curà: in con„ cordiam redibunt ambo. Ita ſanè factum: ante expectatum compoſita repentè diſcordia eſt.

*Nunciat fęminę proximam filij cum aduerſario pacem.*

## CAPUT IX.

*Magnum extinguit incendium; & puellæ ingenti damno ab igne affectæ ſanitatem affert.*

DOmus quædam Uiterbij flammas de nocte conceperat; eòq. flammarum proceſſerat furor, vt omnem prorſùs humani remedij ſpem adimeret incolis: at ſpem in diuæ ROSÆ deprecatione non ademit: cuius tam præſens experti ſubſidium ſunt, vt vix eam implorarint, cum ſubitò proximarum ei domui ſacrarum Ædium campanę ſonitum, quatiente nemine, præbuere: ad quem excitati non pauci, vt ignis comprimerent impetum appropeiauere: ſed prodigij ſpectatores adfuere magis, quàm præſidiarij: ſiquidem videbatur ignis ab ipſis, vt appropinquabant, effugere, donec, citra domus detrimentũ omninò euanuit.

*campanæ ſpontè dant ſonum.*

Uerùm haud minùs, quàm fugatum Sanctæ ope ignem, admirabere ignis peracerba deleta veſtigia; anno quippè mil-



leſimo quadringenteſimo quadrageſimo quarto habebat Uiterbij domiciliũ Ioannes Piccinus Florentię ortus, cuius vxor, abſente ipſo, quodam mane ad ſacrum profecta filiam paruulam Benuenutà nomine prope ignem reliquerat: hęc( vt aſſolet illa ętas )circa ignem ludens in illum illabitur; facieſq. ei, manus, pedes tam immaniter exuruntur, vt humanę ſpeciei ne veſtigium quidem retinuerit, tota tumefacta: regreſſa mater, vt eam vidit natę formam, adeò magnos edidit clamores, vt vicinitatem vniuerſam domum ſuam exciuerit, cuius in conſpectu nihil alibi ſperans remedij ad SanctęROSÆ benignitatem confugit, vt ipſa, pręter quàm quod filiam ſuam ab interitu eriperet; etiam deformitatem, quam relictura ipſi eſſet exuſtio, ab eadem amoueret: nec fuſę in caſſum preces: continuò Benuenuta & plagis, & earum cicatricibus caruit, perinde ac ſi nunquam eã ignis attigiſſet.

## CAPUT X.

*Naufragantibus, & in Aquà periclitantibus præſidio adeſt.*

VT Flammę; ſic etiam Aquę Diuę ROSÆ ancillatę ſunt glorię. Anno milleſimo quadringenteſimo viceſimo ſecundo, cum Alphonſus Hiſpanus, qui à ſecretis erat Cardinali Sancti Euſtachij, nauigaret (quorſum, haud liquet); nauiſq. onuſta, & hominibus, & mercimonijs eſſet, atra adeò tempeſtas excitata eſt in Mari, vt fluctus illam penè obruerent: in diſcrimine Alphonſo famę, ac miraculorum Sanctę ROSÆ memoria occurrit; illamq. his vocibus appellauit ſupplex: „Ah Sancta, diuiniſq. cumulata beneficijs ROSA Viterbienſis, ſi verè, qualem te prędicari toties audiui, ſancta es; ſi mihi non ſomnia de tuis miraculis relata ſunt, ades mihi gratià, quà tantum apud Deum polles; ades & meis comitibus in tam indubitati naufragij, interituſq. periculo: tuas per preces, beata oh





ta oh Uirgo, ſalutis nos compotes diuinà Binignitas faciat. Deſierat Alphonſus; iamq. naui, ſeu diffractà, vt quidam ſcribunt; ſiue, vt alij, cum ab inundante ſalo pręgauaretur, demerſioni proximà; nauclero, & nautis natatui committentibus vitam, nauigantium pluribus vndà enectis; paucis, qui reliqui facti fuerant, effugij ſpem deſtituentibus, Alphonſo iiſdem fluctuationibus irretito, tanquam propitium ſidus, è Cęlo affulget ROSA; vultu hilari: Ne metuas, Alphonſe, inquit, nam tuę non fruſtra miſſę ad me voces: illa ego ſum, ad quam profugiſti, ROSA. Nec plura: & eius apprehenſà manu ſoſpitem illum ad littus incedentem ſuper aquas perduxit, non minùs dexteram experientibus ROSAM ſocijs, qui etiam arreptis Alphonſi veſtis fimbrijs, vt alicubi legi; vel, vt alibi, eâdem ad tabulam, vbi de ſubmerſione dimicabant, reuertente, ac manu eos trahente, incolumes appulerunt ad Terram: ibiq. ſtatim curuatis genibus Deum, ac Sanctam ſuę ſalutis vindices pià gratiarum actione celebrarunt: dein citra moram Alphonſus

*Naufragum deducit ſuper mare.*

in viam ſe Uiterbium verſus dedit, vbi Sanctę adiens Ædem Sacram, Diuinę rei ſolemni pompà eius operà factę, inclinato ſemper aſtitit capite, pręcipuaque cum demonſtratione pietatis: pòſt, à re Diuinà, cum ante Diuę Corpus flexis poplitibus non mediocre tempus; præ dulcedine collachrymans conſtitiſſet, patefecit euentum, & ad illud memorię hominum ſempiternæ commendandum perfecit, vt eiuſdem tabella picta ipſi ſuſpenderetur.

Huic ſuppar in eodem Templo prodiit, votum reddens, quod in ROSÆ gloriam conceperat, decimo ſexto calēdas Decembris Anni milleſimi quadringenteſimi quinquageſimi quinti Ioannes Græconius Polonus natione: hic ſiquidem cum menſe Maio milleſimi quadringenteſimi quinquageſimi quarti Gallæciam verſus Diui Iacobi Maioris Apoſtoli venerandi gratià cum alijs eiuſdem mentis hominibus non paucis Gallicum per mare ſolriſſet; ad Burdegalam certo periclitatus eſt naufragio, adeò fera tempeſtas ingruerat! Sed miraculorū, queis Diua ROSA Uiterbienſis



ſis clarebat, recordatio in ſpe illum ſalutis retinuit: quam ob rem voto illius Corporis inuiſendi, ſi naufragio euaſiſſet, nuncupato, ſanctam demereri conabatur: interea nauigium ſubmergitur nautis cum decem, ac peregrinis viginti, vnus Gręconius ad Terram egreditur ſoſpes, cum manu illum ſuper mare ſuſtineret ROSA pręſens. *Alij opitulatur præſens.*

Non eius viſere Corpus vouit; ad eam tantùm ſuſpiria in Cęlum direxit quidam Germanus, qui mercatorem agebat Uenetijs, naufragio periturus; & appulit ad littus incolumis prodigio, quod inficiari poſſit nemo. In cuius meriti, ſuiq. in Sanctam grati animi monumentum reuerſus Uenetias ROSÆ effigiem efformari in telà iuſſit, quam in cubiculo detineret; ac ſępſſimè coleret.

In hoc euētu videtur ipſa ROSA, vt ad ſuum confugeretur auxilium, ante diſcrimen monuiſſe: nam, cum Uiterbienſis homo Geminus Turris nomine in Apuliam per cauſam pietatis anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ad Sancti Angeli tenderet, quodam die, poſt quam altiſſimo nox eum ſono preſſerat,

*Ad peregrinũ accedit.* ſerat, primo diluculo, ſomnum inter, & vigiliam videt per tecti ſpiramentum ingenti in iubare Sanctam ROSAM ſic ſe alloquentem: Gemine, fac Sancti Angeli filius fias. Is contra pauens: Quęnam, ait es tu? ſum, ipſa reſpondit, ſancta Ciuis tua. Hec effata, digreſſa eſt: at Geminus eam eſſe ſanctam ROSAM intellexit quidem; verborum verò non aſſequebatur ſententiam: quare cogitabundus lecto exurgens proſecutus eſt iter, adiungente ſe illi alio viatore, ad neſcio quem fluuium vſque, in quem, aliam ad ripam vado tranſituri, cum introiſſent, auctus aquis, & violentus amnis ambos in pręceps rapuit; iamq. deiectos alueus hauriebat, cum illo momento vltimo venit in mentem Gemino ſanctę popularis ſuę, eiuſq. paulo ante ſpectatę è Cęlo formę: ipſam animo (neq. enim fas erat ore) inuocat, & confeſtim manum ſibi arripi ab eà pręſente *Eundē in periculo iuuat.* ſentit, ſeq. ad ripam perſpicit ſaluum deduci cum ſocio, qui eum, quà potuerat, apprehenſum arctè detinebat experiens, eſſe cum Probis, quanti interſit.

CA-



*Viſum Cęcis; Auditum dilargitur Surdis.*

VIſum, ſi non quanti vitam pendat Mortalis; certè paulò minoris; nec minimi Auditum, cum vterque, vt Vita, atq. Conſuetudo iucunda ſit, efficiat: vtriuſq. facultatem amiſſam reſtituit ROSA mirificè. Teutonicus quidam Claris parentibus, & diues grauiſſimum in morbum Uenetijs lapſus oculorum ſenſu deſtitutus fuerat, nec tamen illius per curationes recuperandi ſpe: verùm attulere ipſę medicationes nocēdo deſperationem ęgro videndi ampliùs. Aſt, quia ſanctimonię ROSÆ maximę loca iam omnia peragrabat fama; & multa ſummopere admiranda, ſua pręſertim in patrià ab eà pręſtita reminiſcebatur ęger, curam ad eiuſdem opē languori ſuo expoſcendam conuertit, voti religione ſe illigans, vbi nouà frueretur luce, ipſi ſumptuoſi ibidem ex ędificandi ſacelli. Pollicendi finis Teutonico initium ſtatim rectè videndi fuit. Quod, vt quàm gratum ſibi fuiſſet, oſtēderet, voti perſoluendi tēpus anteuertit.

 Ui-

Uiterbij duodecim puer annorũ Laurentij nomine alterius ex oculis luce, atq. adeò ſpe eius in poſterum videndę, quippe viduatus pupillà, penitùs carens, ſolis precibus, etiam non ſuis preſentiſſimum ſenſit sanctę ROSÆ ſubſidium: Adornina enim Petri Conſi Laurentij mater nocte filium conterraneę sanctę commendat, & mane tam benè videntem à quiete accipit, vt, eum ex oculis laboraſſe, nec indicium appareret.

Altero oculo capta pariter erat Romę Rita quędam è Sabinà gente Manlianenſis, hęc sanctę ROSÆ miraculis, quę fama nunciabat, auditis, oculi ſanitatem ab ipſà, neſcio cuius voti ſuſceptione ſuppliciter depopoſcit; & exaudita ſtatĩ eſt; remq. admirandã multorum in conſpectu confeſſa, pręſertim saluati Baſilicę Lateranenſis, & Ioannis è Tibure Liberianę ſacerdotio pręditorũ.

Non preces cunctata eſt; imò nec ſui obliuione indignata ROSA alij fœminæ, Uiterbienſi Palocciæ Rieciæ: hæc anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo ob aduerſam, quæ ſibi inciderat, valetudinem, factà oculorum iactu-



iacturà, Lucis aſpectum à sanctorum pluribus precata erat, quin sanctę ROSÆ Ciuis ſuę in memorià nomen fuiſſet: ipſamet ei adfuit eà facie, quà ipſius imago picta paſſim cernitur, hunc in modum humaniter incuſans: Paloccia, Paloccia, sanctos imploraſti omnes, exceptà me, quæ tibi plane memorià ceſſi. Et: & quænam es tu?, ait, mulier: Beata ſum Uiterbienſis ROSA, ſubijcit Sancta: tunc Paloccia Pedibus ſeſe ipſius aduoluens, ei pro Luminis acquirendo vſu impenſè ſupplicauit: & sancta ter illi in palpebras exſufflans (Poetæ verbis non poeticè vtar) *Latos oculis afflauit honores*. *Fœminę eius immemori exorandam ſe præbet.* *ÆEn. I.*

Uiſum ſubitò à sanctà acceptum in vno ex oculis, quo erat orbata, teſtata eſt Maria Antonij Lombardi è Sutrio deferens ad eius sacellum argenteum oculum, quod vouerat, cum, vt videret, ROSAM innocauit.

Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio, poſt Uirginis partũ, anno Bartholomeę Angeli è Uiterbio vtrumq. oculum ægritudo, & copià, & ſpe videndi euerterat: quare illa in sanctæ

ctæ ROSÆ præſidium contulit ſeſe voto eius Corporis obſequij cauſà per menſem quotidiè adeundi; atq. vt cæleſtis in eius arà ſemel immolaretur Hoſtia committendi: & ceſſauit continuò cæcitas; votumq. fœmina impleuit.

Angela Ioannis Nardi Pallocij, ipſa quoq. è Viterbio, annum iam oculorum & viſionem, & pupillam ſibi à morbo ademptam lugens demum optauit à ſanctà viuendi vim tantam ſolùm, quanta ad accedendum ad Templa, quæ colere ſana conſueuerat, ſatis eſſet, emiſſò eius Feſti quotannis peragendi voto: optatum Angelæ ſuperatum officio ROSÆ eſt: quæ enim viſionis particulam tantummodò poſtulauerat, integram eſt acepta.

Verùm digna profectò, quam admiremur, fuit cuiuſdam Philomelæ Iuſti Viterbienſis, puellæ quinquennis fides: hæc anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo octauo oculorum alterũ cum amiſiſſet ex capitis diſtillatione, quæ in oculo labem reliquerat, ſanctæ ROSÆ Lipſana vltrò adiens, ante illa veteres querelas rationalis Philomela dulci-



dulciter integrauit, pro ſua facultate miſerationem rogans; certè, eius conſequendæ ſpe inità, à Lipſanis ad Margharitam Petrucciam Aſceterij Præſidem properat; eamq. funiculum albo filo complexum qui ſanctæ contigiſſet Corpus, flagitat; ab eàq. curam, in tam paruulà, tantæ maturitatis, demirante traditum pupillæ admonuit: & euanuit labes, quæ oculo lucem præcludebat, ſtatim.

*Puella quinquẽnis Diug Roſæ funiculo oculum illuminat.*

Duo, quæ ſequuntur, diuerſa fuere prodigia, ſed eodem effecta horæ articulo: ſacra Virgo in Sanctæ Monaſterio dolore oculorum grauiſſimo vexabatur; & mulier neſcio quæ alibi ſurditate fuerat affecta: eodem tempore, vt morbis mederetur ſuis ambæ orauere ROSAM; & àmbæ exorauere.

Triplici malo, & maxime periculoſo Teutonem quemdam ROSA liberauit anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo: graui hic morbo, cum oculorum, & aurium ſenſu, loquendi etiam vſu priuatus eſt, ſalſis defluxionibus in linguam à cerebro diſtillantibus, adeò vt humani remedij expes eſſet: ad cæleſtem

leſtem obtinendam medelam, Sanctæ ROSÆ Uiterbienſis rerum mirabilium memor, eam cum ore non poſſet, mente duas horas obteſtatus eſt, vt ipſam ſui miſereſceret, voto ſe eius Corporis inuiſendi adſtringens, vbi conualuiſſet: protinùs & viſus, & auditus, & loquelæ promptioris factus eſt compos, eodemq. anno, qui fuit ſecularis ſacer, votum ſoluens, Diuæ ROSÆ in perpetuum deuinctiſſimus vixit. Quando quidem verò huius etiam linguæ vidimus medicatam ROSÆ benignitatem fuiſſe; ad eiuſdem in ſermone mutis reddendo facilitatem oſtendendam, quaſi pro ſuo iure, procedit Hiſtoria.

## CAPUT XII.

*Mutis vocem reſtituit*

Viterbienſis puer, Ludouicus nomine, à natali origine captus linguà, nactus eſt anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quinto bonos pro ſe apud ROSAM patronos, auiam maternam, aliamq. religioſam mulierem

An-



Angelulã appellatam, quę ab illà nepotis infortunium fando audierat; eiq. conſilium deprecandę pro illo Diuę dederat: nocte enim proxima in ſomnis vtraq. viſa eſt ſibi videre ſanctam ori pueri ſuum Os apponere: cum velut obſtupefactam vtramq. rei nouitas tenuiſſet; poſtea ſermonem ſuper viſis conferentes, & eadem eodem tempore, eademq. ratione ambabus oſtẽſa intelligentes, Ludouicum ad ſanctę Reliquias, Deo impellente, adduxerunt; atq. ibi poſt oblatas Deo, ſanctęq. precationes: vt intra ſacellum inducerent puerum, à ſacris Uirginibus impetrauere: eius os ad os ROSÆ adiungunt; & locutus eſt puer ſtatim.

*Videtur à duabus fæminis eadem hora.*

Petrulę Paridis Uiterbienſis Antonio è Uerentano nuptę duo erant filij, quorum alter Franciſcus nomine, ex morbo, erat omninò orationis expers; alter, qui Iacobus nuncupabatur, clamoſus nimium identidem furioſè vociferans, ac ferè ſemper obdormiebat: maximè anxia parens vtrumq. ſanctę ROSÆ commendauit, ab eà petens; vt alter vocalis fieret, alter pacatus: eius dici

no-

ei nocte per ſomnum vidit Petrula inui-
ſentem ſe ROSAM, hortantemq., ne
metueret: namq. exaudita à ſe erat,
addens: Ego ſancta ROSA ſum. Id
à muliere viro relatum eſt; & ipſe ex cer-
tà fide auctus fiducià, ſanctę funiculum,
quem apud ſe gerebat vxor, arripuit;
liberiſq. adhibens, & muto vocem at-
tulit, quà ſubitò aliquam piſcis partem
poſtulauit, & dormitori, eidemq. cla-
matori vigilantiam, atq. ſilentium.

Franciſca ex Iouio, quæ Viterbium
incolebat, à Dæmonibus occupata,
modis horribilibus adeò exagitabatur,
vt aliquando vociferans, infremenſq.
linguam ſibi momorderit, vnde linguę
vſu relicta eſt penitus expers; deniq. à
diuturnis cruciatibus, quibus immun-
di eam ſpiritus exercebant, neſcio quo
anni milleſimi quadringenteſimi qua-
drageſimi noni die parumper feriata,
ſanctę ROSÆ, vt ſe ſoſpitaret, ex ani-
mo ſupplicauit: adſtitit ei Sancta eiuſ-
dem diei nocte ſplendore, velut aureo,
circumueſtita; eamq. his verbis affa-
ta: Franciſca, num me agnoſcis? mu-
lier, & ſi muta, ſic reſpondit: Tu San-

cta



cta ROSA noſtra es: optimà te agnoſ-
co: ſuccurre, quęſo, mihi; & ſpondeo,
me tuum funiculum, quamdiu vixero,
geſtaturam. Suſcepit ROSA: Libera es,
ne dubites: & illicò ſibi ex ore videt,
Franciſca erumpere ſub atri, teterrimiq.
monſtri quadrupedis laruà Cacodemon
em, quod monſtrum in ſolum cadens
non ampliùs eſt viſum: verumtamen ſi-
ne vſu linguę illa permanebat, donec ei-
us, ad obſequendum adeunti Corpus,
eamq. mente deprecanti, linguę ſolutum
eſt vinculum. Verùm promiſſi oblitę aſ
pecta eſt nocte quadam ROSA pullà
veſte amicta illam ſic increpans: Fran- *dictis nō*
ciſca, funiculus vbi eſt? His illa exter- *manentē*
rita, vt ſibi ignoſceretur, flagitauit à *mulierē*
ROSA; & mane quęſito funiculo, illum *arguit.*
ſemper magna cum veneratione geſta-
uit, animo Diuę magis deuincta.

## CAPUT XIII.

*Energumenos liberat.*

QUod proximè ſupra enarratum eſt
monet nos, eorum, quos à Dę-
monibus vexatos ROSA liberauit, ex-

empla

empla ſubiungere. Nonum igitur iam annum opprimebant ſeptem Dęmones Andream Franciſcanum Fratrem ex Minoribus, domeſticis addictum miniſterijs, qui, antequàm in religioſam familiam ſuſciperetur, Antonius Schlauus eſt vocatus: quàm plurimos inter cruciatus, interni huic tortores faciem cum manibus, brachijſq. euoluerant, & ad res eũ belluarum proprias; ac ſummè ferinas adigebant, pręſertim cum ad deuota Deo loca propinquaret: hunc anni milleſimi quadringenteſimi quinquageſimi quinti Septembri alius ex eodem Franciſcano Ordine cum vellet ad Sanctę ROSÆ perducere, vociferantem audiuit, ſe nolle inimicę ſibi Corpus aſpicere: nihilominùs illuc ſunt conati pertrahere colligatum, ac detrectantem maximè ad ſanctum ſacellum accedere, in cuius ferreos clathros ingenti impetu ſępius prę rabie caput incuſſit. Adiurans energumenum Sacerdos Dęmonibus affirmauit, à ſe non dimiſſum iri eum ſacro ex loco, priùs quàm ex eo egrederentur ipſi. Reſpondit ipſorum Dux, vniuerſos egreſſuros eſſe poſtridie; hac promiſſione permiſ-



miſſum Andreę eſt, ad Cęnobium vt rediret. Nocte, cum laxamenti aliquantum ei nefandi ſpiritus dediſſent, eundem ROSA conuenit Lauro coronata, dicens: Frater Andrea, vicimus: fac animo intrepido ſis, cras emittere manu. Poſtridie manè illum denuò vinxere, ac vi ad ſanctam duxere innumeris, ab demonibus, moleſtijs interim afflictatum; maximèq. horrendum in modum, cum ſacello appropinquaretur, vlulantem: cumq. ante illud haurire iuberent aquam, vnde ablutę ſanctę manus fuerant, & renueret; in os ei magnum intruſere baculum, quem ter dentibus refregit, interſtepentibus demonibus: *Vę nobis, in profundum migramus*: admonuit eius ori ſacerdos Diuę annulum, vt exoſcularetur: verùm refugiens oſculum, mugitibus formidandis abire illinc nitebatur, donec per vim ab illo annuli oſculum extorſere: hine ſubitò in pauimentum eſt lapſus, tanquam mortuus, humórem atramento ſimilem ore eiectans, qui humor continuò inter primos aſpectus euanuit: mox, tanquam ſi è ſomno euigilaret: *Ferte mihi opem*, exclą-

*energũeno ſe oſtendit.*

clamat, *vt exurgam*; ſurrexitq. liber; & plures annos ipſius Sanctę Monaſterio inſeruit.

Occupauerat puellã Uiturchlanenſem Demon, quę, eo quod inuitam parentes nuptui collocarant, conſilij inops ipſi ſeſe emancipauerat, à conturbatione animi nil ſecum ipſa reputans, cuius in ſe futurum eſſet imperium, qui, ſimul atq. & animi, & corporis mulierculę poſſeſſionem adijt, ad innumerabiles eam, & inuſitatas ineptias impellebat: comportarunt illam Uiterbium reluctantem ad Sanctę Corpus, vbi, cum ſeſe illis, à quibus detinebatur, eripere, furiali more contendiſſet, ex conatu fatigata potum petijt, è ſacratis Uirginibus quędam audiens, diuino inſtinctu, aquã Sanctę Manus abluit; eamq. illi potui dandam curauit: ſtatim à potu tranquillata puella voluit animi ſordes confeſſione abſtergere, quod aſſecuta, libera, & ſoſpes vltrò ad coniugem eſt reuerſa; cumq. eo citra repugnantiam, moleſtiamq; degit in poſterum.

*Femina Sanctæ Mãum ablutiõe hauſta à Dæmon: eripitur.*

Non alio opus fuit duobus fanaticis, quos maximis conflictabant moleſtijs

*Duo ad S. Corp.*

De-



Dęmones, quàm vt ante Sanctę Corpus vno, eodemq. tempore ducerentur: protinùs enim ab ambobus depulſi tortores inferni ſunt.

*aſpectu ab ſpir: deſeruntur.*

Minori labore illos à filià depulit ROSÆ per opem anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo Margarita Angeli Tincoſini: ſolà ſiquidem Sanctę pro filià implotatione ipſam illicò vindicatã habuit ab ſpiritibus, quę is ab improuiſo pauore aditus in eius corpus patuerat, quiq. eam ità vehementer vociferari cogebant, vt vicinitatis totius aures obtunderet, ac ſi infeſtiſſima eſſet inferni clamoris Echo.

## CAAUT XIV.

*Debilitatos roborat; ſoluit neruices; inſanabilia vlcera perſanat.*

IAcobus de vulpe Uiterbienſis, Diſciplinatis, vt nominabant, & Charitati Uiterbij Prefectus, equo, dum is ruri precipitanter excurreret, prolabens, manens, ac debilis eſt relictus: feſto Sanctę Clarę die ad Sanctę ROSÆ Cadauer



ſub-

*Sola oratione debilis solidatur.*

ſubalaribus fulcris accedens, diù illic multumq. piè ſupplicans eſt moratus: poſt preces nequaquam cunctata eſt ROSA illum priſtinis viribus reſtituere. In cuius admirandi beneficij fidem ſubalaria fulcra ad eius ille ſacellum appendit.

Uiterbienſi feminę illuſtri loco natę Laurę Caſtaldenſis nomine manuum officium reddidit, quo priuata fuerat hoc euentu. Laurentium eius parentem barbarum in modum trucidauerant, qui illi infenſi erant: quâ de re, vt cognouit Laura, dolore oppreſſa ac terrore adeò eſt, vt, accurrente è cęteris corporis partibus ad cordis pręſidium ſanguine, manuum ipſi, digitorumq. nerui ręmanſerint deinde contracti: voti ſe religione adſtrinxit Sanctę ROSÆ habitum induendi, ſi conualeſceret: mox ad eius Reliquias aduehi ſe iuſſit; eiſq. contractas impónés manus, hę continuò robur amiſſum recepere.

*[illegible]ulſa ... ri corp: attractę manus explicatur.*

Alium quemdam ex Neapolitano Regno, vt omnium membrorum contractione explicaretur, ad balnea Uiterbienſia deuexere: ſed nihil illis proficientibus



*Sola inuocatione Roſæ membr- or: omn- contra- ctio ſol- uitur.*

tibus, immedicabile ſuum malum js arbitratus, reditum meditabatur ad patriam: nec tam citò tamen, vt aliquot Uiterbij dies in tabernâ diuerſoriâ non ſubſtiterit: ibi cum multa ex operibus à Diuâ ROSA' ſupra omnem Naturę vim perpetratis audiſſet; ſtatim ex animo ſupplicem ſe illi pro ſanitate exhibuit, ſperans fore vt exaudiretur: haud cunctanter illi membra remiſſa ab contractione ſunt. In animi grati ſignum ſacra eius ROSÆ Lipſana inuiſit: ac poſtea, ne ambigi de miraculi veritate poſſet, ad paternam domumvoluit pedibus remeare.

*Roſæ funiculi applicatione ſanatur fiſtula.*

Ob inſanabilem cruris fiſtulam Mattheus Sciacca Uiturchlanenſis pedem ſibi recidi mandauerat: dum inſtrumenta expediret Gentilis chirurgus, aderat adoleſcens Iulianus Mutij appellatus (de quo alio loco non pauca) adoleſcens quondam effręnis: hic percenſens; quæ expertus in ſe fuerat, ROSÆ miracula hortatus ipſum eſt, vt ſanitatem ab ea peteret; ipſe à Iuliano Sanctę funiculum, quem js geſtabat, poſcens, illo ęgrum pedem, Sanctam, vt opitularetur, vocans

contigit: & procul morà, chirurgo obſtupeſcente, ſanus apparuit.

*Horrenda fiſtula medicatur.*

Philippa è Sutrio octo annos in crure perpeſſa erat fiſtulam in duodeuiginti diuiſam ora, tandem malum intelligens nullà eſſe medicabile hominum arte, ſacramento ſe arctiſſimo obligauit, ſi ſanitatem ſibi ROSA afferret, in ipſius monaſterio religioſę Familię nomen dandi: ſubitò allata Philippę ſanitas à ROSA eſt, & illa ad eius monaſterij profitenda inſtituta ſeſe traduxit, non varia, & mutabilis fęmina.

## CAPUT XV.

*Quoſdam è mortis extremo diſcrimine extrahit, qui in illud ex diuerſis & naturalibus, & violentis cauſis inciderant.*

PEtrula Ualentini Serfredi vxor ita ex faucibus laborabat, vt glutire nihil, pręter ſtillatitij ſacchari exiguum, & magno cum niſu, poſſet: ſeptimo, quàm ita occęperat angi, die ad mortis deducta eſt fauces: hic eius oculis ob-

uerſata



*Anginò grauiter laborans medetur.*

uerſata eſt ignotę forma mulieris veſte candidà coopertę, quę illi, vt à Sanctà ROSA efflagitaret ſalutem, perſuaſit: efflagitauit Petrula votum addens, vbi eam recuperaſſet, cereum ad ipſius Corpus afferendi, efficiendiq; vt unum ante illud fieret ſacrum: hinc repente è morbo emerſit; & voti exſoluit religionem.

*Iuuenem ab oſſifragio liberat.*

Anno à Chriſto nato milleſimo tercenteſimo ſeptuageſimo, bellum gerente cum Uiterbienſibus Britanno, cum ſe illi poſt quamdam in hunc eruptionem reciperent, Mattheum Traſmundum inſecutus ad męnia vſq. eſt eques Britannicus; collapſumq. in humum tamdiù Equi vngularum pulſu proculcauit, quoad ſenſus, ac motus penè omnis expertem cenſuit interemptum: Sanctam is ROSAM ad ſe iuuandum inuocauit ſuppliciter: eiuſdem diei nocte illa ſe pię mulieri, Dominicæ nomine, oculis obtulit; & : Dominica, inquit, Matthęi Traſmundi matri dicito, vt ſublatum ſuum filiũ extra męnia properet, dum viuit; nec eum ampliùs exire pugnatum ſinat: etenim, ſi non occidit modò, alià vice non abibit incolumis.

Executa eſt ROSÆ mandatum mulier; & manè vna cum Matthei parente illò profecta, ipſum reſpirantem inuenere; intulere in Ciuitatem; & ROSÆ monito obtemperauit mater.

Uiterbienſis puer, cui nomen Dominico erat, paribus edito colludens in loco, ruit, obtrituſq. eſt: ſuſtulere illum agnati ſemimortuum: eiuſq. patrocinium Sanctę ROSÆ mandauere: hęc nocte per ſpeciem ſe illis oſtendit; nunciauitq; ſaluum puerum eſſe: ſaluumq. reuera illi mane repererunt; ac Sanctę ſe eſſe magnoperè deuinctos faſſi ſunt.

*Contritũ redintegrat puerum.*

Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo, à Uirginis partu, anno Catharinę Philippi Uiterbienſis filię pedem in agro ante ora matris perſtrinxit morſu anguis, viruſq. acre eam humi ſtrauit: occludentem oculos, & propè moribundam in vlnas mater ſubleuat; ac Diuam inuocans ROSAM ei recipit, filiam, ſi reualeſcat, à ſe diuino Cultui in eius monaſterio dicatum iri; & protinùs omni defuncta periculo eſt adoleſcentula.

*Veneno pereuntem ſeruat.*

Uiterbij Hieronyma Antonij è Larthemiano



themiano, vulgò Ciuitate caſtellanà ſacrarum Uirginum nũero in Sanctę clauſtris adſcripta ſanguinis profluuio ex ore menſem totum vexata fuerat abſq. intermiſſione, ac requie: huic mortis ictum in horas ſingulas ex deſperato morbo pręſtolanti, quadam anni milleſimi quadringenteſimi quinquageſimi ſecundi nocte, cum vim ſanguinis profunderet maximam, fuit in oculis facies ROSÆ dicentis: Me noſtin'; Hieronyma? Reſpondit ęgrota, à ſe quidem ipſam non rarò viſam; verum eo tempore, animo ac memorià comprehenſam non haberi: ſuſcepit Sancta: Ego Beata ROSA tua ſum. Hęc inter, lectulum ſuum reſpiciens Hieronyma, illum cernit ſanguine in terram defluente redundare: quam ob rem Deum, & Sanctam implorans ROSAM, ſtatim valens exurrexit, alijs, quę pro eius proſpero exceſſu Cęlites precabantur, mirantibus: eo quòd fieri nequaquam poſſe jis videretur, vt, quę vacaret ſanguine, cuius tanta copia ex eà effluxerat, vitam ſpiraret.

*Sanguinis defluxioni agens animam, Roſæ ope conualeſcit.*

Gemmę Dominici è Monte, Leone,

Uiter-

Uiterbij ſeptem immedicabilia alterius ex vberibus vlcera teterrimos perſępè ciebant cruciatus, quibus coacta eſt aliquando tandem cum morte confligere: tunc vitā ſuam Sanctę ROSÆ admandauit, quę nocte ſe illi videndā per quietem exhibens: Gemma, quandò te mihi commendaſti, ait, ſomnum excute; & ſanam te comperies: ſomno excuſſo, veriſſimum experta eſt Gemma, non ſine admiratione circumſtantium, & ſuà, quod locuta ROSA fuerat; eiq. obſequioſa, dum vixit, fuit.

## CAPUT XVI.

*Ab ijs, quos Febris in extremum Vitæ momentum adduxerat, mortem arcet.*

ROme anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quinto ex acutà febri agebat animam Alphonſus Borgia Ualentinus Cardinalis tituli Sāctorum Quatuor, qui poſtea Pontifex creatus Calixtus Tertius appellatus eſt: hic poſtremo illo vitę articulo Sanctę ROSÆ reminiſcens, vouit, ſi per eam, reci-

*Caliſto 3. tunc Cardinali fe-*



reciperet valetudinem, ROSAM ex ſolido argento ſe ipſi miſſurum; & ſtatim, depulſà febri, liber euaſit: ROSAM verò, quę etiam nunc extat, anno poſteriore milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſexto miſit.

*brem adimit.*

Anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo in vitę, mortiſq. verſabatur confinio Aquilanus Preſul cognomine de Amico, Uiterbij, & Prouincię Patrimonij Gubernator: hic, ſimul ad Sanctę perfugit opem, multorum in ore, maximè Petruli Buſſij Patritij Uiterbienſis, in ſtatum valetudinis priſtinum reſtitutus eſt.

*Patriæ ſuæ Gubernatori in extremo vitæ curſant iſerit ſanit…*

Palocia Cęci molitoris agnomine, eiuſq. nata Ioanna capitali, ac peſtiferà preſſę febri anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo primo, ab omnibus, quia pauperes, derelictę fuerant: nocte quadam, cum alteri altera adminiculo eſſe in rebus neceſſarijs non poſſet, iam pręcipites in mortem erant: ſed mater dupliciter mœrens, & ſuo, & filię malo, petijt à ROSA, vt ſuppetias ferret; & in medijs doloribus conſopita eſt: ſopor Sanctam in conſpectum dedit

*Duabus miſeris Vitam*

*amittentibus donat ſalutem.*

„ dic ita ſolantem: Palocia, ſic habeto, „ te; tuamq. natam ab interitu vindi- „ catum iri; & grabato cras conſurre- „ cturas firmas. Ita factum vtriq. eſt, vniuerſis id prodigij loco habentibus.

*Ablutionis Roſę manuum ſtilla morientē recreat.*

Habebat Viterbij domicilium Catharina Aretina, cum ipſius nepotulus, qui ſemiannum ſupra bimatum agebat, ab exitiali febre iam propè erat, vt euolaret ad ſuperos: tunc illa ſuſceptum in ſinum ad Sanctę Corpus paruulum aſportauit: illic vltimum ducenti ſpiritum quędam ex Aſcetrijs aquę modicum, vnde ablutę ROSÆ Manus fuerant, inſtillauit in oſculum: morſq. actutùm ab illo, morbuſq. diſceſſerunt.

*Lethatē febrem à fæmina expellit.*

Ferrarię, milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quinto à Chriſti partu Virgine anno, Marię Laudianę Pellegrinę periculum intulerat vitę febris mortifera: votum hęc nuncupauit, ſi priſtinam ad valetudinem reuocaretur, eundi Sanctę Corpus veneratum: poſtea obdormiſcens, experge facta eſt incolumis; votumq. inſequentis anni Octobri perſoluit.

CAP-



*A mortis extremo periculo vnumquemdam pluries, deniq. etiam à morum corruptelà retrahit: aliumq. in ipſo mortis limine ſanitati reddit per ſuum funiculum ROSA.*

IUlianus Mutij ex Tuſcanià, cui agnomen indiderant Horologio, adoleſcens, quo de ſupra, cuius cum ętate progrediebatur improbitas; anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſexto magis laxauerat frena licentię: quapropter, illum vt compeſceret; eiuſq. animo mederetur Numen, longiſſimà eum menſium tredecim obſedit febri, donec ad vitę extremum peruenit: redintegrata tunc illi caſu eſt Sanctę ROSÆ memoria; ad eiuſq. confugit opem, concepto ſemper ferendi eius funiculi, ſi morbo releuaretur, voto: morbo ipſum abiectâ omni cunctatione ROSA releuauit; & funiculum circumligauit ipſe ſibi: verùm poſt menſes tres illum vxori tradidit, ſibi ampliùs non eſſe opus iactans. Non multò poſt febris eum tam grauis, tamq. immanis capitis do- c. 14

*Mortem à iuuene depellit ſemel.*

lor

lor inuaſit, vt iterum de vitâ dimicaret: eo tempore animum ipſi tetigit memoria voti, atq. funiculi: hunc ſtatim aſ-

*Iterùm.*

ſumpſit; ac ſibi vix circumdedit, cum & febri, & dolore penitùs dilabente, ſanitati redditus è ſtrato ſurrexit: at poſt menſes circiter quatuor illum pre jrà depoſuit ſtatuens numquam poſthac reſumere: tum verò regreſſa eſt acerrima, & lethalis febris: & hac tertià vice iam, concertabat cum morte: votum gerendi funiculi, donec ſibi quicquam ſupereſſet virium, emittit, & continuò confirmatus ex morbo eſt: quinis elap-

*Tertiò.*

ſis menſibus funiculum abijcit: vxor & vota, & præterita pericula viro in memoriam redigit, verbis eum inſuper caſtigans: ille excandeſcens hunc in modum reſpondit: Nec Uirgo Maria, nec SanctaROSA efficiet, vt hoc funiculo vmquam ampliùs me precingam. Finierat, & proximè à maledictis febris eum exitialis cum cruciatibus adeò aſperis occupauit, vt poſt paulo actum eſſe de eius ſalute medici declararint; & verò argumenta mortis indubitata in ipſo apparuerant. In temporis illi ſacri-

leg-



legiorum memoria pectus fodit; demit ſenſq. ſe, vt habebat, moribundum è lecto, manantibus lachrymis à Diuino Numine, Deiparâ Uirgine, Sanctâq. ROSÂ, precatus eſt veniam, quæ data illi confeſtim fuit: namq. & ad priſtinam valetudinē, &(quod eſt magis optabile) ad æternæ ſalutis curam reuocatus eſt illicò: voti præſtitit fidē; Diuamq. ROSAM perpetuò cultu, & obſeruantià eſt proſecutus.

*deniq. etiam improbitatem ab illo amouet.*

In valetudinario animam exhalabat iam inter ſacerdotales preces Bartholomæus Lambardus Uiterbij incolens, cum forte fortunà illac puer, qui Sanctæ ROSÆ gerebat funiculum, tranſiens ad ſpectandum accedit; Deiq. afflatu funiculum ſuper expirantem proijcit: ſubitò hic oculos adaperiens grabato omni liber à morbo ſe abſtulit.

*Solus funiculi Roſæ cō tractus à præſenti morte vindicat.*

## CAPUT XVIII.

*Trium extinctorum, atq. etiam Equi mortui vitam ROSA reſtituit.*

DOminicum Marci Gualdi Uiterbienſis grauiſſimus abſtulerat morbus; fueratq. in feretro iam compoſi-

tum-

*Lachrymis fęmina vitam mortui coniugis obtinet.*

tum eius corpus, vt exportaretur ad tumulum tempeſtiue. Intereà, dum eius morti cęteri ſanguine coniuncti illachrymant, Couella coniux, dolore nimio extimulante, ad Sanctę corpus effugit; ibiq tantum de viri morte fleuit, vt Sanctam ad commiſerationem inſcia commouerit: nam inde ad coniugis cadauer funus emiſſura regrediens, ipſum ad vitam rediјſſe, omniq. ęgritudine carere videt. Miraculo aderant plurimi, cum euenit; Deoq., ac Sanctę ſe magis hinc obſtrictos conclamarunt. Multos deinde annos vixit Dominicus: & factum vxoris impenſà in ipſo, vbi Sanctę Corpus recubat, conditiuo effictum licet aſpicere.

Chatharinę Petri è Baſulo ex Tuderis Diæceſi Romæ commoranti morbo abſumptus eſt coniux; paulo poſt capitali paucorum dierum febri extinctus eſt etiam trimulus puer Iacobus nomine: hunc deflens iam miſſura ad humandum erat, cum Diua ROSA, totq. beneficia, quibus opem inuocantes ſuam afficiebat, eius memorię occurrunt: cumque illius cultui eſſet ſummoperè addicta, illi ipſa ſuas quoque curas expoſuit con-





*Infante mortuis excitat.*

fidens fore, vt puerulum eius deprecatio vitæ compotem faceret, votum addens Uiterbium cum eo petendi, tum vt reuerentiam eius Corpori exiberet; tum vt afferret sacello cereum: lætitiam ingenti attulit Sancta continuò, dum puerum vidit, & mirata eſt Catharina in lucem reuocatum. Propter quod factum obnoxiam ſe quidem Deo Sanctęq. mox eſt atteſtata: verùm voti memoriam haud quaquam conſeruauit: quà de cauſà nocte quadam in lecto vigilans Diuam vidit hęc ſibi loquentem: Catharina, tuus natus manet in vità: in memoriam, „ promiſſi redi: Uiterbium tende domum meam inuiſum; quodq. debes, referto. Stupor Catharinam, & mandati, & viſi parumper defixit: mox, ecquęnam eſſet, percontata eſt. Reſpondit illa, ſe eſſe Sanctam Uirginem ROSAM, ab Epiſcopo Romano approbatam.

*Exprobat obliuionem promiſſi.*

Condonationem rogat negligentiæ Catharina: Sancta ab eius conſpectu abijt; & mane proximo ea cum filio Uiterbium eſt profecta: dicatoq. cereo, prodigium verbis, vt perlectum eſt, expreſſit.

Anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo primo: cum prope adeſſet, vt pareret Paulina de Uetere, viribus fracta, & nunquam antea expertis doloribus afflictata, quod partum edere non valebat, ad mortis limina iam perlata fuerat: Sanctę ſe, quod' in illis mortis anguſtijs fas fuit, pro valetudine; fętum, quem quintum decimum iam diem à ſe frigentem geſtari in vtero ſenſerat, pro vitâ commendauit. Nec fruſtra enim verò: ſubitò nanq. ex morbo recreata eſt marem enitens, qui ſine ſpiritu à domeſticis aſpectus omnibus, mox ab ortu ſpiritum reſumpſit; vitęq. particeps menſes non paucos fuit.

*Fetui ſine vitâ egreſſo vitam largitur.*

Sed non Homines tantùm; adhuc etiam (quod coronatus Pſaltes de Deo prę cinuit) Iumenta ſaluauit ROSA: milleſimo enim quadringenteſimo trigeſimo ſexto anno, Angelulo è Porchlano in arduo prolabēs tranſitu ſarcinatus Equus interijt: erat hic Angelulo vnicum vitę ſubſidium, quippe tam egeno, vt aliud nihil ille haberet, pręter eius vectiones ad victitandum: quare ex Equi, & ſarcinę iacturâ multò magis deſperationem



tionem trahens, in lamentis, luctuq. multum diei ſpatium iacuit: menti denique Sanctâ ROSA' ſubeunte, preces ad eam ſummis pro ęrumnis ſuis fudit, vouens, modò Equus reuiuiſceret, commiſſurum, vt ſemel auguſtiſſima Euchariſtia in eius Templo offerretur. Uix verba expedijt, cum viuus inſurrexit Equus, omniq. impedimento ſolutus. Pro quo Deo, Sanctęq. maximas agens gratias proſecutus eſt iter; votumq. perſoluit.

## CAPUT. XIX.

*Fœcunditatem ſterilibus impetrat; difficulter enitentium adiuuat partum.*

FElix Marco Buſſio Uiterbij apprimè nobili nupta, cum concipere ne vtiquam poſſet, Sanctę ROSÆ ſpopondit, ſi eâ deprecante conceptum ſibi indulgeret Deus, ſe illi in lucem perlato, ſeu virilis, ſiue muliebris eſſet ſexus, eius nomen impoſituram: concepit; & confueto temporis curriculo interiecto maſculum peperit; eiq nomen dixit Roſato.

*Mater quomodo Mari nomé imponit Roſ...*

Uir Germanus familię claritate inſignis, orbatus liberis fuerat; inſuper & ſpe illos in poſterum ſuſcipiendi: eo quod coniugem vis concipiendi defecerat: voto ſeſe obſtringit, ſi ſaltem vnum acciperet natum, Sanctę ROSÆ nummi aurei offerendi annui, quamdiù viueret: vxor concepit, & ſolito interpoſito tempore maſculi fecit partum; diſſoluitq; coniux votum

Sed, vt magis neceſſarium fuit ROSÆ auxilium difficultate pariendi laborantibus, ita fuit pręſentiſſimum. Franciſca Nardi Maltempi Uiterbienſis, tranſuerſà in aluo prole prohibebatur parere cum tempus iam appetijſſet: quare atrociſſimi eam aggreſſi dolores per quatuor ſolidos dies, nocteſque ad mortis anguſtias perpulerunt: à Sanctà tunc opem Franciſca flagitauit; deq. ipſius Manum ablutione combibit: eà vix deguſtatà, egreſſa eſt inſueto modo proles ex vtero in terram prociliens, quin vitę haberet ſignum: ſed obſtetrice Sanctam inuocare non deſinente, viſus eſt halitare puer, ac ſeſe mouere; itidem parens lecto ſana, & vigens deſcendit; multoſque

an-



annos inter viuos ambo ſuperfuere Sanctę ROSÆ numquam immemores.

Anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio Luminata è Uiterbio doloribus perquàm diris cruciata, eo quia edere fętum non poterat, Sãctę ROSÆ pollicita eſt, ſi pręſidio ſibi ad puerperium eſſet, vbi fęminam eniteretur, ei nomen ROSÆ poſituram: enixa feliciter eſt puellam ſtatim: ſed promiſſionis oblita aliud ei nomen impoſuit: hinc incepit exareſcere penè ad interitum vſq. puellula; ac tunc excitauit ad cogitationem voti memoriam Luminata; tulitq. ad Sanctę Corpus filiam: atq. ibi ſacrarum ceremoniarum cultu adhibito, prioris nominis facta ei mutatio eſt in nouum ROSÆ; &, nullà interpoſità morà, eadem ſe planè recreauit.

*Oblita promiſſi mater iactura prolis accepta periclitatur.*

Milleſimi quadringenteſimi quinquageſimi quinti Maio, cum vtero graui eſſet Conſtantia Maſculini è Uiterbio vxor, illiſit caſu ſe dolio vinario: vtq. ſibi ab irato coniuge caueret, illud, cum deuolueretur, ſuſtinere voluit: proinde doloribus ferociſſimis correpta per quinos continenter dies, ſine vllà quiete,



advi-

ad vitę finem acceſſit: in quo periculo SanctaROSA Conſtantię fuit ſuffugium, à quà ſtatim & ſedati dolores; & prohibita in ipſà abortio eſt: quin etiam effectum, vt marem paucis poſt diebus feliciſſimo partu daret, qui ROSÆ ab eà fuit bis referendus acceptus: nam quadam à partu nocte ſomno ſoluta vidit ſub Felis immanis ſpecie monſtrum infantis gulam interſtringere: & quia pauor exitum voci pręcluſerat, animo Sanctę opem implorauit; ac protinus monſtro euaneſcente, natum reperit, & ſi ob diſcrimen vehementer vagientem, ſoſpitem tamen.

*Sobolem eà datam, etiam à Lemuribus ſeruat.*

Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo anno Angelam Furlani è Uiterbio in aluo geſtantem, cum ſola in ſuà vineà eſſet, impetiere dolores, & vna cum intolerandis ſanguinis fluxionibus ſęuiſſima tormina: quam ob rem ſubſidij expes omnis peritura iam erat, cum Sanctę ROSÆ ipſi in mentem venit; ſimulq. ad eam ſupplici perfugit prece, confirmata ex morbo repente eſt citra abortum fętum maturo tempore fauſtè edens, ROSÆ obſtetricante ope.

CAP.



*Inſontes, Sonteſq. ad eius confugientes ope em carcere ROSA liberat.*

MIlleſimum quadringenteſimum ſexageſimum circiter annum, iuſſu Ioannis è Reate, qui Preſul Uiterbio moderabatur, coniectus in cuſtodiam eſt, obſtrictuſq. compedibus ob crimen pro certo ipſius ſumptum Uginus Albanenſis viri nobilis Angeli Ron o ij penus procurator: apud Sanctam ROSAM ſuas depoſuit querelas Uginus valdè ex animo: quę ipſi eiuſdem diei nocte clarà in luce ante oculos refulſit; prehenſoq. manu: Ne timeas, ait, Ugine; namq. ego tibi dux, & patrona adero in iudicio, in cuius confirmationem dimitteris è carcere die craſtino. Reddito die inter interrogationum tricas tàm ſagax, & acuta dux fuit Ugino ROSA, vt eius explicatà innocentià, ſine vllà morà miſſus factus ſit. Diuę officium maximis gratiarum actionibus Uginus agnouit; ſtudioq. illam ſemper coluit incredibili.

*Vincto apparit.*

Anno milleſimo quadringenteſimo

 quin-

quinquageſimo, cum Romę verſaretur ad pontem Ælium Guillelmus de Boxinetura ex Arelatenſi Diœceſi Cęnobij Manlianę Urbis Monachus, & Uembreni Moderator, in uincula ductus innocens eſt propter indicia pro non dubijs putata ſub cauſà, quod peregrinatorum quorumdam, qui deſpoliati fuerant, latrocinio interfuiſſet. Cum tandem poſt varias diſcuſſiones ventum ad tormenta eſſet, in ipſorum conſpectu exclamat Guillelmus: O Sancta Uiterbienſis ROSA, famà inclyta: ſi ea, quę de te celebrantur, falſa non ſunt, innocentiam tuere meam; mihiq. noli nunc deeſſe. Eiuſmodi exclamatio tantum terroris Iudici, lictoribuſq. incuſſit, vt alter in alterius defixus hęreret obtutu, quin eum quiſquam auſus ſit alloqui, nedum tangere. Itaq. vt innoxius, qualis reuerà erat, ſolutus à vinculis eſt.

*Solum inuocata ſtatim liberat.*

Sed ad omnium in ſuo auxilio fiduciam alliciendam, non ſolùm inſontibus vinctis, aſt ſontibus quoque rogata ſuccurrit ROSA. Annos aliquot Uiterbij moratus fuerat; viſendiq. Sanctę Corporis officium ſępè pręſtiterat Iuuenalis

Anto-



Antonij illuſtri loco Narnię natus: hic in imam ſuę patrię turrim truſus cum duobus ſocijs fuerat ob graue admodū, & capitale crimen: vt de miris beneficijs à Diuà ſuos in ſupplices collatis memoriam acceperat, eius aſſequendi patrocinium in ſpem venit: idcircò ſalutem ei ſuam intimo ex animo commendauit: ipſa verò Iuuenalem hac ratione de vinculis eximit: ſenſit ſibi js manum à ROSA capi, ſeq. è compedibus, cateniſq. extrahi, quin earum relaxarentur ſerę; nec non & vſq. ad celſiſſimam turris feneſtellam eleuari, inde exportari procul Narnià eò, vbi ſeruandi ſui copia ipſi ſuppeditauit. Reſtam noua, ac repentina oculis obiecta immobiles animi duos reliquos pene reddidit, qui ſatellitibus vocatis euentum enarrarunt: inſpexere ipſi compedes, catenas, ſeras, carceris ipſos angulos, ſi quid forte perfactum, aut motum inuenirent: vtq. omnia integra, & immota ſunt viſa, rem pro miraculo habuere. Porrò Iuuenalis effigiem facti votiuam ad Sanctę ędiculam attulit, quę etiam num extat priſco more expicta.

*Inſolità clementià reum in libertatem aſſerit.*

Quod

Quod ſupereſt, innumeri ſunt, quos & à peſtilentià; & ab exitiali, ignotaq. febri; morbo pleuritico inſanabili; coli doloribus: heterocranea; alijſq. horrendis capitis cruciatibus; apoplexià; ſanguinis profuſione; aquà intercute; atq. ab omni alio ęgrotationum genere ROSA mirabili modo vindicauit, ſiue ipſius tantum auxilio implorato; ſiue perporato de ipſius Manuum preciosa ablutione modico; ſiue ipſius tum geſtato, tum infirmis partibus admoto funiculo, quorum exempla ſingula commemorare breuitatis gratià mittimus; alioquin benè amplum implendum eſſet volumen, cuiuſmodi eſt illud, in quod eius conſecrationis relata ſunt acta, vbi eorumdem plurima percenſentur. Uerùm prętereundum ſilentio enimverò non eſt eius Cadaueris vltra quatuor ſecula incorrupti, flexibiliſq. perenne miraculum, in cuius laudem eiuſdem Sanctę Illuſtriſſimus Ciuis Iulius Comes Buſſius, perargutus noſtri ſęculi Cycnus italico metro, quod ego ex fide hic verto, ſic cecinit:

Hac,



*Hac, cui Styx, & Opes, & Amor ceſſere, laborem*
*Cum vitæ inter, adhuc parua puella foret:*
*Vt viuens tria Monſtra immania ſtrauit; & annis*
*De rapidis Vità functa Trophæa locat.*
*Vtq. notam nunquam illi vllam graue crimen inuſſit;*
*Sic modò nulla AEui tabe ſubacta, viget:*
*Sinceruſq. Sinus, cui Mens tam caſta iugata eſt,*
*Deluſos aſtus Regna docere manet.*
*At Superùm ſi viua auxit tam ſedula cultum;*
*Vel gelida in cunctis excitat vſque Fidem. (ns:*
*Cerne ROSAM, inficians Numen, mirabere clama-*
*Huius, Inocciduum, Membra caduca probant!*

## CAPUT XXI.

*Teſtimonium Diuę ROSAE ſanctitati à Summis Potificibus, Imperatoribus, Regibus, ac Dynaſtis, quà dictis, quà obſequijs preſtitis datum.*

OMiſſo, quod in octauo decimo libri primi huius Uitę capite recenſuimus, ab Innocentio Quarto in ROSÆ ſanctimonię teſtificationem factum; & ab eius proximo ſucceſſore Alexandro Quarto, quod in libri ſecundi capite ſecundo commemoratum eſt, ne dicta

*Inn: 7. Roſæ Reliquias veneratur.*

ita repetam, Innocentius Septimus nonis Auguſti milleſimi quadringenteſimi quinti Viterbium vectus, ibiq. vſq, ad tertium idus Martias milleſimi quadringenteſimi ſexti commoratus Diuę ſacra Lipſana venerationis ergo crebrò reuiſit; admiſitq. admiranda omnia, quę magno tunc numero diuina per eam patrauit Virtus.

*Itē Martinus 5.*

Martinus Quintus, cum in Conſtantienſi Concilio ad Petri Nauis gubernacula regenda euocatus, Romam contendens Viterbio tranſijſſet, Sacrum ROSÆ Corpus viſitare vna cum ſplendido comitatu ſuo voluit anno milleſimo quadringenteſimo viceſimo primo, eius Monaſterium donis non vulgaribus cumulans. Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo tertio anno

*Eugen: 4. bis diuerſo tempore.*

Eugenius Quartus Romam Senis reuertens, cum Viterbium peruenisſet, Sanctę ROSÆ ſacellum adijt, vt ipſius Reliquias coleret; ſingulariſq. pretij reliquit munera: iterumq. anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſexto Viterbium, vt Diuam ROSAM veneraretur, venit vnicè, tum quia precipuà eius religione tenebatur; tum quia ex plano Cle-

*Idem etiam in Martyrologio Romano ſe iuſſurum deſcribi ſpondet.*

ri, Communiſq. Viterbienſis relatu perdoctus de eiuſdem & ſanctitate, & miraculis fuerat: preterea eidem Clero, Communiq. ſupplicanti annuit (quippe Alexandri Quarti mentem didicerat) effecturum ſe, vt ROSÆ Nomen aliarum Sanctarum Virginum adſcriberetur Nominibus in Romano Martyrologio: ſed rei euentum voto non reſpondit: quia Viterbienſes à Sanctę cultus prouehendi ſtudio curis maximis retardantibus, Eugenius perfunctus fato eſt, qui tamen

*Sanctæ titulum Roſæ dedit.*

Sanctę titulum ROSÆ attribuerat in Diplomate, quo Chriſtianorum arcebat ſacris Aſceterij bona occupantes, quod Diploma pridie idus Septembris milleſimi quadringenteſimi trigeſimi ſeptimi datum fuit Bononię.

*Item Nicolaus 5.*

Hoc titulo etiam Nicolaus Quintus, qui Eugenio ſuffectus eſt, eam cohoneſtauit in illis Pontificalibus litteris, quibus Viterbienſi Vniuerſitati edixit, vt ſingulis annis Purificatę à Puerperio Virginis die ſacro ad Sanctę ROSÆ Templum tres ex candidà cerà funales faces afferret: quę Litterę ad tertium nonas Aprilis milleſimi quadringenteſimi quadrageſimi no-

noni ſunt datę. Sanctę nomine item eam dixit Caliſtus Tertius, qui in Nicolai locum ſubijt, Diplomate, quod decimo ſeptimo calendas Iunias milleſimi quadringenteſimi quinquageſimi quinti prodijt; qui & in Sanctorum catalogo deſcribi eam iuſſit: de quà quid ſenſerit idem, cum eſſet Cardinalis, libri ſecundi ſexto decimo capite ſcriptum eſt; & quàm eiuſdem Sanctę ſtudioſus Petrus Lucouicus Borgia eius nepos fuerit poſtremi capitis initio perſpicietur. Pius ſecundus, qui Pontificatum poſt Caliſtum geſſit, Uiterbium ob id tantùm, vt venerationem Sanctę ROSÆ exhiberet, ſe bjs tranſtulit, ſemel anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo; iterùm milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſecundo, ſtatimq. Romam rediuit. Sanctà appellauit ROSAM Xiſtus Quartus etiam, Pontificijs litteris, quę nonis Nouembris milleſimi quadringenteſimi ſeptuageſimi primi editę ſunt; ratumq. effecit Feſtum, quod ei agebatur, agiturq. pridie nonas Septembris Romę, Uiterbijq.: & mandauit idem ipſe, vt ſupra tria funalia cerea ab Nicolao Quin-

*Item Caliſt:3, & in catalogos S. connũerari iuſſit.*

*Pius 2. bis, vt ſolum eam viſeret, Viterbium iuit.*

*Item Xiſtus 4 Roſam vocauit Sanctã:*

*Approbauit Fe-*



Quinto indicta, ſex alia offerrentur, tria natali Sanctę Clarę die; tria Ferià Sacri Diuę ROSÆ Corporis tranſlatione nobilitatà. Quę cuncta hac Ferià coniunctè ſolemni pompà ad Diuę ROSÆ feruntur quotannis à Magiſtratu ſimul cũ lectis omnium artium opificibus, non ſine plurimorum omnis ordinis, ſexus, ętatis comitatu, ab anno milleſimo quingenteſimo duodecimo, vt in generali Conſilio, Romà conſentiente, decreuit Uiterbienſis Uniuerſitas idibus Maij eiuſdem anni, Iulio Secundo Chriſtianę Reipublicę Principe, ac Parente. Clemens Septimus eam vocauit, & clarè dixit Sanctam in Diplomate octauo calendas Aprilis milleſimi quingenteſimi viceſimi quinti Romę dato. Idem à Pio Quarto quoq. eſt factum in Pontificalibus litteris Romę idibus Nouembris milleſimi quingenteſimi ſexageſimi tertij editis. Hactenus autem memorata Pontificum Diplomata in Diuę Aſceterij tabulario aſſeruantur.

*ſtum, quod celebrabatur.*

*Item S. dixit Roſam Clem:7.*

*Item Pius 4.*

Nec verò Pontificum exempla ſequi pretermiſere Imperatores, Reges, ac Dynaſtę. Sigiſmundus Imperator an-

*Imperator Sigis*

*...mundus inuiſit Sanctam.*

no, qui ab ortu Salutis milleſimus quadringenteſimus trigeſimus tertius vertebatur, iter Uiterbio faciens, ad venerandum Sanctę Corpus contulit ſeſe; & valdè pretioſa Templo impertitus eſt munera. Anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo, cum quinto nonas Martias Uiterbio pertransiret Fridericus Tertius Romam proficiſcens, Sanctę ROSÆ Reliquias colendi cauſâ adijt; & Monaſterium theſauro ingenti eſt muneratus: anno verò milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo nono Romà, vbi eum Imperatorio inſigni Nicolaus Quintus euinxerat, Uiterbium rediens, ruſus Diuę Corpus venerabundus obiuit, non paucis & Romanę Eccleſię Patribus Auguſtis, & Epiſcopatus gradu decoratis, & Principibus, & nobilibus Uiris proſequentibus.

*Item Fridericus Tertius bis.*

*Aragonię Rex dat operam, vt in San-*

Aragonię Rex Alphonſus pro eâ in Sanctorum catalogo inſcribendâ ſuam interpoſuit operam, quam quis poſſit, ſtudioſiſſimè, precibus cum Caliſto Tertio quàm diligentiſſimè agens per miſſam à Uico Principis quarto nonas Ma-





ias milleſimi quadringenteſimi quinquinquageſimi ſeptimi epiſtolam, quâ ad hunc honorem eius Nomini mandādum incitamenta exprimit, ei vocabulum tribuens puellę Diuinitatem attingentis, & Sanctiſſimę.

*ctorum catalogo inſcribatur.*

Milleſimo quadringenteſimo decimo ſeptimo anno, cum trans montem Uolentarium Dominus Contuccius Uiterbenſis, Templi Sancti Angeli Canonicus cum alijs pluribus ab Catalaunię triremibus, Barcinonis Comite Triarcho, eſſet captus, Canonici frater Centumcellarum arcis Pręfectum Petrum Achillam Amerinum de eius infortunio per litteras monuit: qui, cum in captiui commendationem ad Comitis coniugem nomine Uirginum Sanctę ROSÆ Aſceterij ſcripſiſſet, Comes hoc nomine captiuos dimiſit vniuerſos; remittenſq. tabellariūm iniunxit, vt ſacras Uirgines certiores faceret, ſe Sanctę ROSÆ Corporis inuiſendi vehementi deſiderio teneri. Quanta erat in tanto Duce Diuę ROSÆ Sanctitatis opinio, à quo eius Alumnarum ſolo nomine tam celeriter tot hominum repręſentata libertas eſt!

*Comes Barcinonis indicat ſuũ viſendę Sanctę ſtudium.*

## CAPUT XXII.

*Quę teſtimonia Ciuitates, Oppida, Pagi, atq. eruditi Viri perhibuerint ROSAE Sanctitati.*

CUm milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſeptimo anno, ſexto calendas Aprilis Petrus Ludouicus Borgia ſupremâ Eccleſię Prefecturâ ornatus, & Caliſti Tertij nepos, auctoritate, quam à Pontifice acceperat, edictum vulgaſſet Uiterbij, vt Ciuitatum, Oppidorum, Pagorum, Locorumq. omnium ſibi, ac Pontificio Imperio ſubditorum Uniuerſitates, & Populi vniuerſa, quę apud ſe eſſet ſupra Naturę ordinem Deus ROSÆ merito operatus, apertè indicarent; atq. vt eadem aperirent ad ROSÆ conſecrationem procurandam, reliquos omnes Dynaſtas, Ciuitates, Communia, Populoſq. cohortatus eſſet: Uiterbium vrbes cunctas, Locaq. finitima, ad proprias pro Sanctâ Ciuè ſuâ teſtationes tranſmittendas, litteris inuitauit: illas tranſmiſere con-





fertim Balneoregium, Urbivetus, Tuſcania, Cornetum, Faliſci, & Aquula, contermine Uiterbio Ciuitates; Uolſinium, Gradule, Crypte Sancti Laurentij, Crypte Sancti Stephani, Procenus, Lubrianus, Sanctus Laurentius, Surianum, Uiturchlanum, Capene, Oppidaq. alia; Pagiq. Uiterbio etiam confines cum hiſce preconijs: Uirgo ROSA ſupremi Regis eſt ſponſa; ardens lucerna; collocata ſuper montem, qui eſt ipſe Chriſtus, Ciuitas; Dei domus; Cęli Ciuis; Theſaurus omni ęſtimatione maior, qui nec Teridinum, nec rubiginis iniurias ſenſerit. Neq. verò poſt edictum Borgię peruulgatum vlla Ciuitas, Oppidum, aut Locus fuit (modò Uirtutum, ac Miraculorum ROSÆ conſcius) quin litteras pro eius inter Sanctos relatione dederit ad Ioannem Uiterbienſem, & Tuſcauienſem Epiſcopum, ac Nicolaum Hortę, & Larthemiaui, nunc Ciuitatis Caſtellanę, qui vicarij Curatores erant Cardinalium Beſſarionis Niceni Epiſcopi Tuſculani; Dominici Firmani tituli Sanctę Crucis in Hieruſalem, vt dicunt; & Proſperi

*Locorũ Viterbio conterminorũ de Sanctâ Roſà elogia.*

Columnę tituli Sancti Georgij in Uelabro, quos cauſę huic Iudices, & Commiſſarios Caliſtus Tertius deſtinarat.

Porrò, prius quàm, quę de ROSA' litterarum monumentis Eruditi tradiderint, proferamus, dicta mihi ſit ampliſſima ſupplicatio, & honor, quo Sanctę ſuę Ciuis Feſtum ornant Uiterbienſes: nam pręter cereorum funalium munera, quorum ſuperiore capite meminimus, inter diuinam Rem, quę ceremonià ſolemni cum ſymphonià celebratur, ad frequentiſſimum populum de eius laudibus verba facit ſacer Orator: Feſti autem peruigilio, noctis circiter horam primam à Romana portà Diuę ROSÆ verſus pompà ingenti ſupplicationem obeunt longo agmine compoſiti omnis ordinis, ętatiſq. homines certas pręferentes faces, collucentibus vndique per domorum feneſtas lucernarum flammulis: pium agmen ſequitur geſtata baiulorum humeris machina, in quà ſublimis apparet ſtatua Sanctę Ciuis aliquod ex admirandis eius vitę operibus repręſentans, quam cereorum luminum circumfulgent manipuli innumeri.

*Quomodo Sanctæ Feſtum peragitur Viterbij.*





meri. Credas triumphare tunc ROSAM in ſimulacro ſuo, tot omnis, vel generis, vel ſexus, vel ętatis, indigenas, aduenaſq. ſibi obſequentes in illo ex feneſtris, in vijs paſſim circumſpectat! Certè plus imprimere in animis, quàm obijcere oculis eo ſpectaculo illam haud pauci experiuntur: ſacrę pietatem Lucis feſtiui de nocte ignes, diurniq. ludi; atq. ad Brauia quadrupedum curſus per dies aliquot (ſi qua eſt ea Sanctę gloria) ſubſequuntur. Annua hęc egregiè reddit Uiterbium Heroinę ſuę.

Uidendum denique eſt, quibus ROSÆ Nomen ſcriptis Eruditi illuſtrarint viri. Romanum Martyrologium, quod ſacra Rituum Congregatio comprobauit, de ROSA' pridie nonas Septembris hęc affert: *Viterbij Beatę ROSÆ Virginis*; hęc verò in additamentis ad idem Martyrologium celeberrimus Cardinalis Boronius: *Accepimus eius acta ab Eccleſia Viterbienſi, cui de eà ſolemnem diem agere decreto Romani Pontificis conceſſum eſt*. Quę Alphonſus Ciacon, quę Lucas Uvadingus de ROSA' litteris conſignarint, iam libri primi capite decimo octa

*In vitâ Inn: 4. In Anno*

Bal:Min: uo expoſuimus. Abrahamus Bzouius ex
Tom: 3. Dominicanâ Familiâ ſcriptor non ob-
l. 6. ſcurus ita ROSAM acutè collaudat: *Sancta Virgo ROSA Viterbij habitum Franciſcanum induta, inter vepreta ſeculi, ſpinaſq. mirâ Sanctitate enituit.* Ita fere
Tom: 1. etiam Uvadingus loco ſupradicto; ita Andreas Uictorellius in additamentis ad Ciaconem. Ad extremum actorum eius ad eam in Sanctorum ordinem reponendam cognitorum coactor, poſtea quam in ROSÆ commendationem ſcri-
Preces: pſerat: *Virgo ROSA inter eunctas Virgi-*
Conguz. *nes alta ſedet*, addidit paulo infra (quo e-
l. y. c. 1. go, vt accommodatiorem haud potuiſ-
pag. 58. ſem excogitare concluſionem Hiſtoriæ, ſic vtar coronide) *Virgo ROSA cæteras Sanctas præcedit, vt Roſa flores alios. &c.*

LIBRI SECVNDI FINIS.

CAP.

CAPITVM LIBRI PRIMI

# INDEX


Caput 1. *Sancta ROSAE ortus, educatio, infantia. pag.* 19.

Caput 2. *Materteram à mortuis trima excitat: quàm erecti ſint hoc miraculo Viterbienſes, ROSAE in pueritiâ Virtutes egregiæ. pag.* 23.

Caput 3. *Sanctitatem ROSAE in pueritia magnam miraculis Deus oſtendit. pag.* 26

Caput 4. *Recipi in Sanctæ Mariæ roſarum Monaſterium efflagitat; reiecta in ſuę domus cellam ſecedit: vita ibi ab ea ducta. pag.* 30

Caput 5. *Grauis, & prolixus ROSAE morbus: eius animi à corpore ſeceſſus, ac mirabiles viſus in morbo. pag.* 33

Caput 6. *Eam Deipara Virgo ſanitati reſtituit: quæ illi præceperit, priuſquam ab ipſa decederet. pag.* 47.

Caput 7. *Sacram Tertiariæ Diui Franciſci veſtem induit. pag.* 39.

Caput 8. *Ingens ad eam inuiſendam populi conuentus, oppoſitiones patris ſuperatæ. pag.* 43

Caput 9. *Conſpiciendum ſe ROSAE Chriſtus Dominus exhibet ſub ſpecie Crucifixi, atq. iterum* poſt-

poſtea Glorioſi . pag. 46.
Caput 10. *Puellas erudiendas ſuſcipit; concionatur palam, quid illi cum hęretico inter concionandum acciderit* . pag. 51.
Caput 11. *Cæco viſum reddit, &, dum concionatur, eleuatur in aerem* . pag. 53.
Caput 12. *Cum Hęreticis diſſerit; eoſq. confundit: qua propter in exilium pellitur* . pag. 55.
Caput 13. *Sanctæ ROSÆ in itinere ad exilium ærumnę* . pag. 57.
Caput 14. *Suriani populum auocat ab errore; & Friderici Secundi mortem prænunciat* . pag. 60.
Caput 15. *Viterbienſium motus, audita Friderici morte: Viturcblanum ſe transfert ROSA: prædicationibus eius plurimi reſipiſcunt: eiuſdem miraculum inibi* . pag. 63.
Caput 16. *Miraculo maximo Sagam conuertit* . pag. 65.
Caput 17. *ROSÆ Viterbium reditus, edito prius animarum fructu in pagis Viturchlano adiacentibus. Concionandi poteſtas ei à ſummo Pontifice data motu, vt aiunt, proprio* . pag. 67.
Caput 18. *Idem ſummus Pontifex, ob cæleſtes ei Honores ritè conſtituendos, eius ad huc viuentis acta cognoſci iubet* . pag. 69.
Caput 19. *ROSA in Sacrarum Virginum Collegium cooptari rurſus flagitat: non cooptatæ vaticinium* . pag. 72.

Cap-

Caput 20. *Oratorium inſtituitur, vbi Sanctitatis cultu aliquas Viterbienſes puellas ROSA inſtruit, quod Sanctæ ROSÆ Monaſterij nomen acquirit* . pag. 74.
Caput 21. *In anguſtâ ſuæ domus cellâ condit ſe ROSA, vita ibi acta, morſq. ab ea obita.* pag. 76.
Caput 22. *ROSÆ Corporis dotes, & Animi virtutes* . pag. 80.

## CAPITUM LIBRI SECUNDI

# INDEX

Caput 1. *Videndam ſè præbens Alexandro Quarto Pontifici eum de ſui Corporis ad Sanctę Marię roſarum tranſlatione commonuit* . pag. 84.
Caput 2. *ROSÆ Corporis ad Sanctę Mariæ roſarum tranſlatio, Quo tempore eius de ſuæ domus in vnum cum Sanctæ Marię roſarum Monaſterio coniunctione impleta ſit prædictio* . pag. 87.
Caput 3. *Inceditur Sanctæ ſacellum ſimul cum eius Corporis ſolio, ipſo Corpore intacto; aliud eiuſdem ſacelli incendium à ROSA prępeditum* . pag. 93.
Caput 4. *Corpus tuetur ſuum à furibus; ac turris campanarię ſui Templi ruinam inhibet.* pag. 96.

Cap-

Caput 5. *Monaſterio ſuo maximè opis indigenti ſubuenit; illud, alioſq. complures à peſtilentiâ vindicat. pag.* 100.

Caput 6. *Acerbiſſimis à doloribus Elephantiaſi, & Comitiali morbo vindicat homines. pag.* 104

Caput 7. *Quamdam Aſceterij ſui Virginem, ob Vnguem à Sanctæ Digito auulſum à ſpe deſciſcentem confirmat. pag.* 107.

Caput 8. *Tranſmontanum Præſulem, ex deſperationem moriendi certum ad ſpem excitat; & duos grauiter diſſidentes in deſperandam concordiam redigit. pag.* 109.

Caput 9. *Magnum extinguit incendium; & puellæ ingenti damno ab igne affectæ ſanitatem affert. pag.* 112.

Caput 10. *Naufragantibus, & in Aquâ periclitantibus præſidio adeſt. pag.* 114.

Caput 11. *Viſum Cæcis; auditum dilargitur Surdis. pag.* 119.

Caput 12. *Mutis vocem reſtituit. pag.* 124.

Caput 13. *Energumenos liberat. pag.* 127.

Caput 14. *Debilitatos roborat; ſoluit neruicos; inſanabilia vlcera perſanat. pag.* 131.

Caput 15. *Quoſdam à mortis extremo diſcrimine extrahit, qui in illud ex diuerſis & naturalibus, & violentis cauſis inciderant. pag.* 134

Caput 16. *Ab ijs, quos febris in extremum vitę momentum adduxerat, mortem arcet. pag.* 138

Caput

Caput 17. *A mortis extremo periculo vnum quemdam pluries; denique etiam à morum corruptelà retrahit; aliumq. in ipſo mortis limine ſanitati reddit per ſuum funiculum ROSA. pag.* 141.

Caput 18. *Trium extinctorum, atq. etiam Equi mortui vitam ROSA reſtituit. pag.* 143.

Caput 19. *Fæcunditatem ſterilibus impetrat; difficulter enitentium adiuuat partum. pag.* 147.

Caput 20. *Inſontes, Sonteſq. ad eius confugientes opem carcere ROSA liberat. pag.* 151.

Caput 21. *Teſtimonium Diuę ROSÆ Sanctitati à ſummis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, ac Dynaſtis, quà dictis, quà obſequijs præſtitis, datum. pag.* 155.

Caput 22. *Quæ teſtimonia Ciuitates, Oppida, Pagi, atq. eruditi Viri perhibuerint ROSÆ Sanctitati. pag.* 166.

LAUS DEO, B. U; Diuæq. ROSÆ.